JOSE LUIS ESTRADA
MALAGA

N.º 3963

9/15/15

COLECCION

DE

AUTORES SELECTOS,

LATINOS Y CASTELLANOS.

TOMO I.

PRIMER AÑO DE LATIN Y CASTELLANO.

COLECCION

DE

AUTORES SELECTOS,

LATINOS Y CASTELLANOS,

PARA USO DE LOS INSTITUTOS, COLEGIOS Y DEMAS ESTABLECIMIENTOS DE SEGUNDA ENSEÑANZA DEL REINO.

MANDADA PUBLICAR DE REAL ÓRDEN.

BIBLIOTECA UNIVERSIDAD DE MALAGA

6104232567

MADRID:

EN LA IMPRENTA NACIONAL.

1849.

Esta obra es propiedad del Estad

PRÓLOGO.

Era universalmente reconocida, aun de siglos anteriores, la necesidad de atender á la reforma de la enseñanza de la lengua latina, tan doctamente cultivada en la época del renacimiento de las letras en España y tan deplorablemente descuidada despues, y sobrecargada de reglas impertinentes, con que se oprimia, como expresa el sábio autor de la *República literaria*, la tierna capacidad de los niños, alejándolos lastimosamente de su estudio. Para que este fuese tan provechoso como el Gobierno deseaba, echábase de menos una Coleccion de Autores escogidos, que sirviendo á los alumnos de texto en la traduccion, é indicando á los maestros la senda que deberian seguir, estuviese ademas dispuesta de tal suerte, que fueran siempre creciendo las dificultades desde la frase mas sencilla hasta los ejemplos de la mas alta latinidad.

Ninguna de las Colecciones existentes satisfacia cumplidamente este objeto, ni menos llenaba el muy importante de enlazar este estudio con los demas que hacen simultáneamente los alumnos, segun dispone el Plan de estudios vigente; de modo que todas las materias se presten mutuo apoyo, facilitándose así la enseñanza de todas. Tiene acreditado por otra parte la experiencia que entregados estos estudios hasta el reciente arreglo, verificado en 1845, al interés particular, se habian descuidado mas de lo conveniente los ejercicios de traduccion, consumiendo largo tiempo en la prolija explicacion de preceptos, siempre estériles, cuando no tienen una aplicacion inmediata á aquellos ejercicios prácticos. Repugnaba tambien á la naturaleza de estos

estudios la perniciosa costumbre de poner en manos de los niños por vez primera textos, cuya inteligencia es superior á sus fuerzas intelectuales; llegando la falta de método al extremo de abandonar, ya en el curso de Retórica y Poética, el manejo de los Autores clásicos del siglo de Oro, para invadir el terreno de la literatura, estudio reservado á las facultades de Filosofía.

Como consecuencia, pues, de uno y otro, y á pesar de los esfuerzos del Gobierno para restablecer los estudios clásicos, no todos los jóvenes que se han presentado á recibir en las Universidades el grado de Bachiller en filosofía, han dado pruebas de tener en la lengua latina todos los conocimientos que hubieran debido adquirir; efecto de no haberlos ejercitado convenientemente en la traduccion y análisis, camino el mas seguro y expedito para aprender las lenguas. Tales son las razones que han movido al Gobierno para publicar la presente Coleccion, dividida en cinco tomos, correspondientes cada cual á uno de los años de la segunda enseñanza.

El presente tiene dos objetos: 1º Presentar á los niños una serie de frases breves y sencillas, en que la dificultad va aumentándose progresivamente, constituyendo al par una narracion amena é instructiva. 2º Prepararlos para los demas estudios del mismo y de los siguientes años; pues que dándose el de la moral y religion en todos los cursos de la segunda enseñanza, y comenzando el de historia antigua en el segundo, se atiende al mismo tiempo á uno y otro objeto con los tratados en este volúmen contenidos. Es el primero el *Epitome Historiæ Sacræ*, escrito de propósito por el sábio Lhomond; el segundo, el *Epitome Evangeliorum*, formado con tal esmero y diligencia, que abraza los principales dogmas de la Religion Cristiana, sirviendo de complemento al anterior Epítome. Las materias de estos compendios son por tanto las mismas que han de estudiar los niños en la cátedra de religion y moral, siendo indudable que ha de contribuir este enlace, así para su mas perfecto conocimien-

to, como para allanar las dificultades en el estudio de la lengua latina.

La historia antigua, inclusa la romana, que ha de estudiarse en el segundo año, comprende una suma de hechos demasiado numerosos para que puedan los alumnos abarcarlos con fruto, si no llevan la preparacion necesaria al efecto. Para obviar estos inconvenientes, se incluyen en este primer tomo otros dos epítomes de la historia de Grecia y de Roma, que dan á conocer los principales sucesos de ambos pueblos; de manera, que al emprender los niños el estudio de la historia, no harán mas que repasar, ampliando con poco esfuerzo, cuanto ya saben, haciéndose así fácil lo que de otra suerte sería penoso en extremo y aun casi insuperable.

La traduccion que ha de hacerse en los siguientes cursos de los pasajes selectos, tomados de los Autores de la era de Augusto, presentará á cada instante los nombres de las deidades y de los héroes del gentilismo; cosa incomprensible para los alumnos, si antes no se les diera una breve idea de la mitología. Nada mas propio para lograr este objeto que el *Appendix de diis et heroibus* de Juvencio, donde en un latin sencillo, pero ya algo mas artificioso que el de los tratados anteriores, se dan á conocer en pocas páginas los dioses y semidioses de la fábula.

Para completar el plan que el Gobierno se propone desarrollar en los establecimientos de segunda enseñanza, acompaña á este tomo la *Copia de las raices latinas*, á fin de que, encomendadas oportunamente á la memoria, adquieran los niños un caudal de voces, suficientes á evitarles en lo sucesivo la enojosa tarea de consultar con frecuencia los diccionarios. Siguen á esta copia dos breves tratados sobre la composicion y significacion de las voces latinas, que terminando el trabajo de las raices, facilitan tambien la inteligencia de gran número de palabras, dando á conocer la estructura de la lengua. Otra *Copia de temas* graduados,

sobre los cuales deberán practicarse las reglas gramaticales, explicadas ya por los profesores, completa la parte de instruccion que habrán de recibir los alumnos en este año. Como quiera que el movimiento de las lenguas estriba principalmente en el verbo, se ha creido conveniente que estos ejercicios no se principien en las aulas, hasta despues de adquirida la doctrina de esta parte capital de la oracion.

Al final de todos estos tratados se ha dispuesto la formacion de un *Diccionario*, expresivo de todas las voces latinas contenidas en los cinco primeros. Este trabajo evitará á los alumnos de primer año la irreparable pérdida de un tiempo precioso que habrian de invertir necesariamente en el manejo de voluminosos diccionarios, y que aprovecharán sin duda en otros ejercicios mas útiles, como son los anteriormente expresados.

No terminarán estas advertencias sin manifestar que el Gobierno, consultando la superior ilustracion del Real Consejo de Instruccion pública, á fin de obtener el mayor acierto, ha acudido tambien á los eminentes literatos los Excelentísimos Sres. D. Manuel José Quintana, D. Juan Nicasio Gallego y D. Alejandro Olivan, quienes deseosos de contribuir por su parte á esta reforma de los estudios de humanidades, han ilustrado esta materia con sus sabias é importantes observaciones.

EPITOME

HISTORIÆ SACRÆ.

1. *Crea Dios el mundo en seis dias.*

Deus creavit cœlum et terram intrà sex dies.

Primo die [1], fecit lucem. Secundo die, fecit *firmamentum*, quod vocavit cœlum.

Tertio die, coegit aquas in unum locum, et eduxit è terrâ plantas et arbores.

Quarto die, fecit solem et lunam, et stellas.

Quinto die [2], aves quæ volitant in aere, et pisces qui natant in aquis.

Sexto die, fecit omnia animantia, postremò hominem, et quievit die septimo.

2. *Forma Dios de barro el cuerpo de Adam.*

Deus finxit corpus hominis è limo terræ; dedit illi animam viventem: fecit illum ad similitudinem suam, et nominavit illum Adamum.

Deinde immisit soporem in Adamum, et detraxit unam è costis ejus dormientis.

Ex eâ formavit mulierem, quam dedit sociam Adamo; sicque instituit matrimonium.

Nomen primæ mulieris fuit Eva.

1 El texto original de la primera edicion publicada por el autor en 1784, decia *primâ die*, *secundâ die*, &c. La última edicion dice: *primo die*, *secundo die*, &c. Se dice igualmente *hic* y *hæc dies*. En el plural es siempre este nombre masculino.

2 Suple *fecit*.

3. *Coloca Dios al hombre en el Paraiso terrestre.*

Deus posuit Adamum et Evam in horto amœnissimo, qui solet appellari *Paradisus* [3] *terrestris.*

Ingens fluvius irrigabat hortum. Erant ibi omnes arbores jucundæ adspectu, et fructus gustu suaves. Inter eas arbor scientiæ boni et mali.

Deus dixit homini: Utere fructibus omnium arborum Paradisi, præter fructum arboris scientiæ boni et mali; nam, si comedas illum fructum, morieris.

4. *Adam y Eva desobedecen á Dios.*

Serpens, qui erat callidissimum omnium animantium, dixit mulieri: Cur non comedis fructum istius arboris?

Mulier respondit: Deus id prohibuit. Si tetigerimus illum, moriemur.

Minimè, inquit serpens: non moriemini; sed eritis similes Deo, scientes bonum et malum.

Mulier, decepta his verbis, decerpsit fructum et comedit, deinde obtulit viro, qui pariter comedit.

5. *Adam y Eva se ocultan de la presencia de Dios, y se excusan de su pecado.*

Adamus, fugiens conspectum Dei, se abscondit. Deus vocavit illum: Adame, Adame.

Qui respondit: Timui conspectum tuum, et abscondi me.

Cur times, inquit Deus, nisi quia comedisti fructum vetitum?

Adamus respondit: Mulier, quam dedisti mihi sociam, porrexit mihi fructum istum ut ederem.

Dominus dixit mulieri: Cur fecisti hoc? Quæ respondit: Serpens me decepit.

6. *Maldice Dios á la serpiente y promete un Salvador.*

Dominus dixit serpenti: Quia decepisti mulierem, eris odiosus et

3 Los autores eclesiásticos y los poetas cristianos son los únicos que emplean *paradisus* en el sentido de jardin. Esta palabra está tomada del griego.

exsecratus inter omnia animantia; reptabis super pectus, et comedes terram.

Inimicitiæ erunt inter te et mulierem; ipsa olim conteret caput tuum.

Dixit etiam mulieri: Afficiam te multis malis, paries liberos in dolore, et eris in potestate viri.

7. *Adam es lanzado del Paraiso terrestre.*

Deinde Deus dixit Adamo: Quia gessisti morem uxori tuæ, habebis terram infestam; ea fundet tibi spinas et carduos.

Quæres ex eâ victum cum multo labore, donec abeas in terram, è quâ ortus es.

Tum ejecit Adamum et Evam ex horto, ut ille coleret terram, et collocavit angelum [4], qui præferebat manu gladium igneum, ut custodiret aditum Paradisi.

8. *Cain y Abel, hijos de Adam.*

Adamus habuit multos liberos, inter quos Cainus et Abel numerantur. Hic fuit pastor, ille agricola.

Uterque obtulit dona Domino: Cainus quidem fructus terræ; Abel autem oves egregias [5].

Dona Abelis placuerunt Deo, non autem dona Caini; quod Cainus ægrè tulit.

Dominus dixit Caino: Cur invides fratri? Si rectè facies, recipies mercedem; sin autem malè, lues pœnam peccati.

9. *Abel es muerto por Cain.*

Cainus non paruit Deo monenti. Dissimulans iram, dixit fratri suo: Age, eamus deambulatum.

Itaque unà ambo abierunt foràs, et quum essent in agro, Cainus irruit in Abelem, et interfecit illum.

Deus dixit Caino: Ubi est tuus frater? Cainus respondit: Nescio. Num ego sum custos fratris mei?

4 *Angelus*, término sacado del griego ἄγγελος que significa *mensagero*, enviado de Dios, *Dei nuntius et minister*: solo se halla usado en los autores eclesiásticos.

5 *Egregius, a, um*, escogido en el rebaño (*egregius* se forma de estas dos palabras *è grege*, de rebaño.)

10. *Castigo de Cain.*

Deus dixit Caino: Caine, quid fecisti? Sanguis fratris tui, quem ipse fudisti manu tuâ, clamat ad me.

Infesta tibi erit terra, quæ bibit sanguinem Abelis: quum colueris eam longo et duro labore, nullos feret fructus. Eris vagus in orbe terrarum.

Cainus, desperans veniam, fugit.

11. *Construccion del Arca.*

Postquam numerus hominum crevit, omnia vitia invaluere. Quare offensus Deus statuit perdere hominum genus diluvio.

Attamen pepercit Noemo et liberis ejus, quia colebant virtutem.

Noemus, admonitus à Deo, exstruxit ingentem arcam in modum navis; linivit [6] eam bitumine, et in eam induxit par unum omnium avium et animantium.

12. *Diluvio: año del mundo* 1656.

Postquam Noemus ipse ingressus est arcam cum conjuge, tribus filiis et totidem nuribus, aquæ maris et omnium fontium eruperunt.

Simul pluvia ingens cecidit per cuadraginta dies et totidem noctes.

Aqua operuit universam terram, ita ut superaret quindecim cubitis altissimos montes.

Omnia absumpta sunt diluvio; arca autem, sublevata aquis, fluitabat in alto.

13. *Fin del Diluvio.*

Deus immisit ventum vehementem, et sensim aquæ imminutæ sunt.

Tandem, mense undecimo postquam diluvium cœperat, Noemus aperuit fenestram arcæ, et emisit corvum, qui non est reversus.

Deinde emisit columbam. Quum ea non invenisset locum ubi poneret pedem, reversa est ad Noemum, qui extendit manum, et intulit eam in arcam.

Columba rursum emissa attulit in ore suo ramum olivæ virentis, quo finis diluvii significabatur.

6 *Linivit.* Aunque algunos diccionarios dan á este verbo *linivi*, *linitum*, no presenta la buena latinidad ejemplo alguno en que se apoye este uso. El pretérito *linivi* ha podido existir; pero ha sido reemplazado por otro que pertenece al verbo *lino*, *is*, *linere*, *levi*, *litum*.

14. *Sale Noe del arca.*

Noemus egressus est ex arcâ, postquam ibi inclusus fuerat per annum totum ipse et familia ejus. Eduxit secum aves cæteraque animantia.

Tum erexit altare, et obtulit sacrificium Domino. Deus dixit illi: Non delebo deinceps genus hominum. Ponam arcum meum in nubibus, et erit signum fœderis quod facio vobiscum.

Quum obduxero nubes cœlo, arcus meus apparebit, et recordabor fœderis mei, nec unquam diluvium erit ad perdendum orbem terrarum.

15. *Corrupcion del género humano.*

Omnes gentes propagatæ sunt à filiis [7] Noemi. Semus incoluit Asiam; Chamus, Africam; Japhetus, Europam.

Pœna diluvii non deterruit homines à vitiis; sed brevì facti sunt pejores quam priùs.

Obliti sunt Dei creatoris [8]; adorabant solem et lunam; non verebantur parentes; dicebant mendacium; faciebant fraudem, furtum, homicidium; uno verbo, se contaminabant omnibus flagitiis.

16. *Vocacion de Abraham*: *año del mundo* 2083.

Quidam tamen sancti viri coluerunt veram religionem et virtutem, inter quos fuit Abrahamus è genere Semi.

Deus fecit fœdus cum illo his verbis: Exi è domo paternâ, dessere patriam, et pete regionem quam daturus sum posteris tuis. Augebo te prole numerosâ; eris pater multarum gentium, ac per te omnes orbis nationes erunt bonis cumulatæ. Adspice cœlum; dinumera stellas, si potes; tua progenies eas æquabit numero.

17. *Nacimiento de Isaac.*

Abrahamus jam senuerat et Sara ejus uxor erat steriliš.
Quibus tamen Deus promisit filium ex eis nasciturum.
Habebis, inquit, filium ex Sarâ conjuge tuâ.

7 *Filii* es menos usado que *liberi* para designar los hijos de uno y otro sexo.

8 *Creator* se ve seguido ordinariamente de un complemento: *creator atque opifex rerum* (Luc. 10, 266).

Quod audiens Sara risit, nec statim adhibuit fidem promissis Dei, et idcirco reprehensa est à Deo.

Abrahamus autem credidit Deo pollicenti.

Et verò, uno pòst anno, filius natus est Abrahamo, qui vocavit eum Isaacum.

18. *Prepárase Abraham para inmolar á su hijo.*

Postquam Isaacus adolevit, Deus, tentans fidem Abrahami, dixit illi: Abrahame, tolle filium tuum unicum quem amas, et immola eum mihi in monte quem ostendam tibi.

Abrahamus non dubitavit parere Deo jubenti. Imposuit ligna Isaaco; ipse verò portabat ignem et gladium.

Quum iter facerent simul, Isaacus dixit patri: Mi pater, ecce ligna et ignis; sed ubinam est hostia immolanda? Cui Abrahamus: Deus, inquit, sibi providebit hostiam [9], fili mi.

19. *Detiene Dios el brazo de Abraham.*

Ubi pervenerunt ambo in locum designatum, Abrahamus exstruxit aram, disposuit ligna, alligavit Isaacum super struem lignorum, deinde arripuit gladium.

Tum angelus clamavit de cœlo: Abrahame, contine manum tuam; ne noceas puero. Jam fides tua mihi perspecta est, quum non peperceris filio tuo unico; et ego favebo tibi: remunerabo splendidè fidem tuam.

Abrahamus respexit, et vidit arietem hærentem cornibus inter vepres, quem immolavit loco filii.

20. *Eliezer, siervo de Abraham, va á buscar en Mesopotamia esposa para Isaac.*

Postea Abrahamus misit servum suum Eliezerem ad cognatos suos, qui erant in Mesopotamiâ, ut inde adduceret uxorem filio suo Isaaco.

Eliezer sumpsit decem camelos domini sui, et profectus est, portans secum munera magnifica, quibus donaret puellam destinatam Isaaco, et ejus parentes.

9 *Deus providebit tibi hostiam* dice en la Vulgata. *Sibi providere* significa *velar por sus intereses*. Mejor hubiera sido decir: *Deus huic rei providebit.*

Ubi pervenit in Mesopotamiam, constitit cum camelis prope puteum aquæ ad vesperum [10], quo tempore mulieres solebant convenire ad hauriendam aquam.

21. *Consulta Eliezer á Dios para conocer la esposa predestinada á Isaac.*

Eliezer oravit Deum his verbis: «Domine, Deus Abrahami, fac ut puella quæ dabit potum mihi petenti, ea sit quam Isaaco destinas.»

Ecce statim Rebecca, virgo eximiâ pulchritudine, prodiit, gerens urnam humeris, quæ descendit ad puteum, et implevit urnam.

Tunc Eliezer progressus obviam puellæ: Da, inquit, potum mihi. Cui Rebecca: Bibe, ait, Domine mi; et simul demisit urnam.

Quum ille bibisset, Rebecca obtulit etiam aquam camelis. Hoc indicio cognovit Eliezer quod scire cupiebat.

22. *Pregunta Eliezer á Rebeca sobre su familia.*

Eliezer protulit inaures aureas et armillas, quas dedit Rebeccæ. Tum interrogavit illam cujus esset filia, num in domo patris esset locus ad commorandum.

Cui Rebecca respondit: Ego sum filia Bathuelis. Avus meus est frater Abrahami. Est domi locus ad commorandum amplissimus; est etiam plurimùm fœni et palearum ad usum camelorum.

Quod audiens Eliezer egit gratias Deo, qui tribuisset iter prosperum sibi.

23. *Es recibido Eliezer en casa de Bathuel, sobrino de Abraham.*

Rebecca properavit domum, et narravit matri suæ ea quæ sibi contigerant.

Labanus, frater Rebeccæ, quum audivisset sororem narrantem, adiit hominem, qui stabat ad fontem cum camelis, et compellans eum: Ingredere, inquit, domine mi. Cur stas forìs? Paravi hospitium tibi et locum camelis.

Dein deduxit eum domum, eique cibum apposuit.

24. *Rebeca es concedida á Eliezer por esposa de Isaac.*

Continuò Eliezer exposuit parentibus Rebeccæ causam itineris suscepti, rogavitque ut annuerent postulationi suæ.

10 El texto de Lhomond dice: *ad vesperum.* Úsase con mas frecuencia *ad vesperam.*

Qui responderunt: Ita voluntas Dei fert; nec possumus Deo obsistere. En Rebecca; proficiscatur tecum, nuptura Isaaco.

Tum Eliezer deprompsit vasa aurea et argentea, vestesque pretiosas, quas dedit Rebeccæ; obtulit etiam munera matri ejus et fratri, et inierunt convivium.

25. *Partida de Rebeca.*

Postridie Eliezer surgens manè, dixit parentibus Rebeccæ: Herus meus me exspectat, dimittite me, ut redeam ad illum.

Qui responderunt: Vocemus puellam, et percontemur ejus sententiam [11].

Quum Rebecca venisset, sciscitati sunt an vellet discedere cum homine. Volo, inquit illa.

Dimiserunt ergo Rebeccam et nutricem illius, precantes ei omnia prospera.

26. *Casamiento de Isaac.*

Isaacus fortè tunc deambulabat rure [12]; vidit camelos venientes. Simul Rebecca, conspicata virum deambulantem, desiluit è camelo, et interrogavit Eliezerem: Quis est ille vir?

Eliezer respondit: Ipse est herus meus. Illa statim operuit se pallio.

Eliezer narravit Isaaco omnia quæ fecerat.

Isaacus introduxit Rebeccam in tabernaculum matris suæ, et lenitus est dolor quem capiebat ex morte matris.

27. *Vende Esau su derecho de primogenitura á Jacob.*

Rebecca edidit uno partu duos filios, Esaum et Jacobum. Qui prior editus est pilosus erat, alter verò lenis. Ille fuit venator strenuus, hic autem placidus et simplex moribus.

Quâdam die, quum Jacobus sibi paravisset pulmentum ex lentibus, venit Esaus fessus de viâ, et dixit fratri: Da mihi hoc pulmentum, nam redeo rure exanimatus lassitudine.

Cui Jacobus: Dabo, si concedas mihi jus primogeniti.

11 *Percontari ó percunctari* sigue mas á menudo un nombre de persona que uno de cosa: *Percontari aliquem de aliquâ re.*

12 Los poetas y los escritores que florecieron despues de Ciceron, emplean *rure* como *ruri* respecto de la pregunta *ubi*; pero *ruri* es preferible en prosa, debiendo ser reservada la otra forma para la pregunta *unde*: *Ruri esse, rure redire.*

Faciam libenter, inquit Esaus. Jura ergo, ait Jacobus. Esaus juravit, et vendidit jus suum [13].

28. *Isaac envia á cazar á Esau.*

Isaacus, qui delectabatur venatione, amabat Esaum; Jacobus verò erat carior Rebeccæ.

Quum Isaacus jam senuisset, et factus esset cæcus, vocavit Esaum. Sumito, inquit, pharetram, arcum et sagittas; affer mihi et para de venatione pulmentum ut comedam, et apprecer tibi fausta omnia, antequam moriar.

Esaus itaque profectus est venatum.

29. *Aconseja Rebeca á Jacob que se anteponga á Esau.*

Rebecca audierat Isaacum loquentem. Vocavit Jacobum, et: Afferto, inquit, mihi duos hædos opimos; conficiam pulmentum, quo pater tuus valdè delectatur. Appones ei cibum, et bene precabitur tibi.

Jacobus respondit: Ego non ausim id facere, mater. Esaus est pilosus, ego sum lenis. Si pater me attrectaverit, suscensebit mihi. Ita indignatio patris et damnum mihi evenient pro ejus benevolentiâ.

30. *Prepara Rebeca la comida de Isaac.*

Rebecca institit: Ne timeas, inquit, fili mi. Si quid adversi inde sequatur, id totum sumo mihi. Tu verò ne dubites facere quod jussus es [14].

Itaque Jacobus abiit, et attulit matri duos hædos. Illa paravit seni cibum quem noverat suavem esse palato ejus.

Deinde induit Jacobum vestibus fratris; aptavit pellem hædi manibus ejus et collo.

Tum: Adi, inquit, patrem tuum, et offer illi escam quam appetit.

31. *Bendice Isaac á Jacob, creyendo bendecir á Esau.*

Jacobus attulit patri suo escam paratam à matre.

Cui Isaacus dixit: Quisnam es tu? Jacobus respondit: Ego sum Esaus

13 La bendicion paternal que estaba reservada al primogénito, llevaba consigo la idea de grandes beneficios concedidos por Dios.

14 *Quod jussus es*, suple *facere*, lo que te ha sido ordenado hacer.

primogenitus tuus. Feci quod jussisti, pater. Surge, et comede de venatione meâ.

Quomodo, ait Isaacus, potuisti invenire tam citò? Inveni, pater; Deus ita voluit.

Isaacus rursum: Tune es Esaus primogenitus meus? Accede propius ut attrectem te.

Ille accessit ad patrem, qui dixit: Vox quidem est Jacobi, sed manus sunt Esai.

32. *Vuelve Esau y pide á Isaac la bendicion.*

Isaacus, amplexatus Jacobum, anteposuit eum fratri, et tribuit illi omnia bona primogeniti.

Non multò pòst Esaus rediit à venatione, et ipse obtulit patri pulmentum quod paraverat.

Cui Isaacus mirans dixit: Quis est ergo ille qui modò attulit mihi cibum, et cui apprecatus sum omnia fausta, tanquam primogenito?

Quod audiens Esaus edidit magnum clamorem, et implevit domum lamentis.

33. *Partida de Jacob.*

Esaus, ardens irâ, minabatur mortem Jacobo.

Quare Rebecca mater timens dilecto filio suo: Fuge, inquit, fili mi. Abi ad Labanum avunculum tuum, et commorare apud eum, donec ira fratris tui defervescat.

Jacobus, dimissus à patre et matre, profectus est in Mesopotamiam.

Iter faciens, pervenit ad quemdam locum, ubi fessus de viâ pernoctavit; supposuit lapidem capiti suo, et obdormivit.

34. *Vision de Jacob.*

Jacobus vidit in somnis scalam, quæ innixa terræ pertinebat ad cœlum, atque angelos Dei adscendentes et descendentes. Audivit Dominum dicentem sibi [15]: Ego sum Deus patris tui. Dabo tibi et posteris tuis terram cui incubas. Noli timere; ego favebo tibi; ero custos tuus quòcumque perrexeris, et reducam te in patriam, ac per te omnes orbis nationes erunt bonis cumulatæ.

Jacobus expergefactus adoravit Dominum.

15 *Sibi*, a el (á Jacob).

35. *Llega Jacob á Mesopotamia.*

Jacobus iter persecutus pervenit in Mesopotamiam. Vidit tres pecorum greges propter puteum cubantes. Nam ex eo puteo greges solebant adaquari. Os putei claudebatur ingenti lapide.

Jacobus accessit illuc, et dixit pastoribus: Fratres, unde estis? Qui responderunt: Ex urbe Haran.

Quos interrogavit iterum: Nostisne [16] Labanum? Dixerunt: Novimus.—Valetne?—Valet, inquiunt. Ecce Rachel filia ejus venit cum grege suo.

36. *Jacob es recibido amorosamente por Laban.*

Dum Jacobus loqueretur cum pastoribus, Rachel, filia Labani, venit cum pecore paterno; nam ipsa pascebat gregem.

Confestim Jacobus videns cognatam suam, amovit lapidem ab ore putei. Ego sum, inquit, filius Rebeccæ: et osculatus est eam.

Rachel festinans id nuntiavit patri suo, qui agnovit filium sororis suæ, deditque ei Rachelem in matrimonium.

37. *Vuelta de Jacob.*

Jacobus diù commoratus est apud Labanum. Interea mirè auxit rem suam, et factus est dives.

Longo pòst tempore, admonitus à Deo, rediit in patriam suam.

Extimescebat iram fratris sui. Ut placaret animum ejus, præmisit ad eum nuntios, qui offerrent ei munera.

Esaus mitigatus occurrit obviàm Jacobo advenienti; insiliit in collum ejus, flensque osculatus est eum, nec quidquam illi nocuit.

38. *Infancia de Joseph.*

Jacobus habuit duodecim filios, inter quos erat Josephus. Hunc pater amabat præ cæteris, quia senex genuerat eum. Dederat illi togam textam è filis varii coloris.

Quam ob causam Josephus erat invisus suis fratribus, præsertim postquam narravisset eis duplex somnium, quo futura ejus magnitudo portendebatur.

Oderant illum tantopere, ut non possent cum eo amicè loqui.

16 *Nostisne* por *novistisne*, Conoceis? *Novi*, perfecto del verbo *nosco*, tiene el sentido de indicativo.

39. *Sueños de Joseph.*

Hæc porrò erant Josephi somnia: «Ligabamus, inquit, simul manipulos in agro. Ecce manipulus meus surgebat et stabat rectus; vestri autem manipuli circumstantes venerabantur meum.

»Postea vidi in somnis solem, lunam et undecim stellas adorantes me.»

Cui fratres responderunt: Quorsum spectant ista somnia? Num tu eris rex noster? Num subjiciemur ditioni tuæ? Fratres igitur invidebant ei; at pater rem tacitus considerabat.

40. *Resuelven dar muerte á Joseph sus hermanos.*

Quâdam die, quum fratres Josephi pascerent greges procul, ipse remanserat domi. Jacobus misit eum ad fratres, ut scire quomodo se haberent.

Qui videntes Josephum venientem, consilium ceperunt illius occidendi. Ecce, inquiebant, somniator venit. Occidamus illum et projiciamus in puteum. Dicemus patri: Fera devoravit Josephum. Tunc apparevit quid sua illi prosint somnia.

41. *Ruben, el primogénito de sus hermanos, intenta salvarle.*

Ruben, qui erat natu maximus, deterrebat fratres à tanto scelere.

«Nolite, inquiebat, interficere puerum; est enim frater noster. Demittite eum potius in hanc foveam.»

Habebat in animo liberare Josephum ex eorum manibus, et illum extrahere è foveâ, atque ad patrem reducere.

Reipsa his verbis deducti sunt ad mitius consilium.

42. *Venta de Joseph á unos mercaderes.*

Ubi Josephus pervenit ad fratres suos, detraxerunt ei togam quâ indutus erat, et detruserunt eum in foveam.

Deinde quum consedissent ad sumendum cibum, conspexerunt mercatores qui petebant Ægyptum cum camelis portantibus varia aromata [17].

Venit illis in mentem Josephum vendere illis mercatoribus.

Qui emerunt Josephum viginti nummis argenteis, eumque duxerunt in Ægyptum.

17 El sustantivo *aromata* solo se usa en plural.

43. *Los hermanos de Joseph envian á Jacob su túnica ensangrentada.*

Tunc fratres Josephi tinxerunt togam ejus in sanguine hædi quem occiderant, et miserunt eam ad patrem cum his verbis: Invenimus hanc togam; vide an toga filii tui sit.

Quam quum agnovisset, pater exclamavit: Toga filii mei est; fera pessima devoravit Josephum. Deinde scidit vestem, et induit cilicium.

Omnes liberi ejus convenerunt ut lenirent dolorem patris. Sed Jacobus noluit accipere consolationem, dixitque: Ego descendam mœrens cum filio meo in sepulcrum.

44. *Compra Putiphar á Joseph.*

Putiphar Ægyptius emit [18] Josephum à mercatoribus.

Deus autem favit Putiphari causâ Josephi: omnia ei prosperè succedebant.

Quam ob rem Josephus benignè habitus est ab hero, qui præfecit eum domui suæ.

Josephus ergo administrabat rem familiarem Putipharis: omnia fiebant ad nutum ejus, nec Putiphar ullius negotii curam gerebat.

45. *Es acusado Joseph por la muger de Putiphar, y encarcelado en virtud de esta acusacion.*

Josephus erat insigni et pulchrâ facie. Uxor Putipharis eum pelliciebat ad flagitium.

Josephus autem nolebat assentiri improbæ mulieri.

Quàdam die, mulier apprehendit oram pallii ejus; at Josephus reliquit pallium in manibus ejus, et fugit.

Mulier irata inclamavit servos, et Josephum accusavit apud virum, qui, nimiùm credulus, conjecit Josephum in carcerem.

46. *Sueños de dos oficiales del rey Pharaon.*

Erant in eodem carcere duo ministri regis Pharaonis: alter præerat pincernis [19], alter pistoribus.

18 Se encuentra igualmente *emere de aliquo* y *ab aliquo*, comprar á alguno ó de alguno.

19 *Pincerna*, copero, es un nombre tan poco usado como *pocillator*, que tiene el mismo sentido. El primero se halla en Lampridio; el segundo en Apuleyo.

Utrique obvenit divinitus somnium eàdem nocte.

Ad quos quum venisset Josephus manè, et animadvertisset eos tristiores solitò, interrogavit quænam esset mœstitiæ causa.

Qui responderunt: Obvenit nobis somnium, nec quisquam est qui illud nobis interpretetur.

Nonne, inquit Josephus, Dei solius est prænoscere res futuras? Narrate mihi somnia vestra.

47. *Explica Joseph el ensueño del gran copero.*

Tum prior sic exposuit Josepho somnium suum: «Vidi in quiete vitem in quâ erant tres palmites; ea paulatim protulit gemmas; deinde flores eruperunt, ac denique uvæ maturescebant.

«Ego exprimebam uvas in scyphum Pharaonis, eique porrigebam.»

Esto bono animo, inquit Josephus; post tres dies Pharao te restituet in gradum pristinum; te rogo ut memineris meî.

48. *Explica el ensueño del panadero mayor* (*).

Alter quoque narravit somnium suum Josepho: «Gestabam in capite tria canistra in quibus erant cibi quos pistores solent conficere.

»Ecce autem aves circumvolitabant, et cibos illos comedebant.»

Cui Josephus: Hæc est interpretatio istius somnii. Tria canistra sunt tres dies, quibus elapsis, Pharao te feriet securi, et affiget ad palum, ubi aves pascentur carne tuâ.

49. *Cumplimiento de los dos sueños.*

Die tertio, qui dies natalis Pharaonis erat, splendidum convivium parandum fuit.

Tunc rex meminit ministrorum suorum, qui erant in carcere.

Restituit præfecto pincernarum munus suum; alterum vero securi percussum suspendit ad palum. Ita rex somnium comprobavit.

Tamen præfectus picernarum oblitus est Josephi, nec illius in se meriti recordatus est.

50. *Sueños del rey Pharaon.*

Post biennium rex ipse habuit somnium.

Videbatur sibi adstare Nilo flumini; et ecce emergebant de flumine septem vaccæ pingues, quæ pascebantur in palude.

(*) El Ilmo. Amat traduce *maestresala* ó gefe de los panaderos.

Deinde septem aliæ vaccæ macilentæ exierunt ex eodem flumine quæ devorârunt priores.

Pharao experrectus rursum dormivit, et alterum habuit somnium. Septem spicæ plenæ enascebantur in uno culmo, aliæque totidem exiles succrescebant, et spicas plenas consumebant.

51. *Da al rey noticia de Joseph el panadero.*

Ubi illuxit, Pharao perturbatus convocavit omnes conjectores Ægypti, et narravit illis somnium; at nemo poterat illud interpretari.

Tunc præfectus pincernarum dixit regi: Confiteor peccatum meum; quum ego et præfectus pistorum essemus in carcere, uterque somniavimus eâdem nocte.

Erat ibi puer hebræus, qui nobis sapienter interpretatus est somnia; res enim interpretationem comprobavit.

52. *Joseph explica el ensueño del rey.*

Rex arcessivit Josephum, eique narravit utrumque somnium. Tum Josephus Pharaoni: Duplex, inquit, somnium unam atque eamdem rem significat.

Septem vaccæ pingues et septem spicæ plenæ sunt septem anni ubertatis [20] mox venturæ; septem verò vaccæ macilentæ et septem spicæ exiles sunt totidem anni famis quæ ubertatem secutura est.

Itaque, rex, præfice toti Ægypto virum sapientem et industrium, qui partem frugum recondat in horreis publicis, servetque diligenter in subsidium famis secuturæ.

53. *Es nombrado Joseph intendente de todo Egipto.*

Regi placuit consilium. Quare dixit Josepho: Num quis est in Ægypto te sapientior? Nemo certè fungetur meliùs illo munere. En tibi trado curam regni mei.

Tum detraxit è manu suâ annulum, et Josephi digito inseruit; induit illum veste byssinâ, collo torquem aureum circumdedit, eumque in curru suo secundum collocavit.

20 Lhomond ha tomado de la Vulgata las expresiones *anni ubertatis*, *anni famis*, que reprueba el genio de la lengua latina.

Josephus erat triginta annos natus, quum summam potestatem à rege accepit.

54. *Acopia Joseph gran cantidad de granos, y véndelos despues á los egipcios.*

Josephus perlustravit omnes Ægypti regiones, et per septem annos ubertatis congessit maximam frumenti copiam.

Secuta est inopia septem annorum, et in orbe universo fames ingravescebat.

Tunc Ægyptii, quos premebat egestas, adierunt regem, postulantes cibum.

Quos Pharao remittebat ad Josephum. Hic autem aperuit horrea, et Ægyptiis frumenta vendidit.

55. *Envia Jacob sus hijos al Egipto, quedándose solo con Benjamin.*

Ex aliis quoquè regionibus conveniebatur in Ægyptum ad emendam annonam.

Eâdem necessitate compulsus Jacobus misit illuc filios suos.

Itaque profecti sunt fratres Josephi; sed pater retinuit domi natu minimum, qui vocabatur Benjaminus.

Timebat enim ne quid mali [21] ei accideret in itinere.

Benjaminus ex eâdem matre natus erat quâ Josephus, ideoque ei longè carior erat quàm cæteri fratres.

56. *Aparenta Joseph el prenderlos como á espías.*

Decem fratres, ubi in conspectum Josephi venerunt, eum proni venerati sunt.

Agnovit eos Josephus, nec ipse est cognitus ab eis.

Noluit indicare statim quis esset, sed eos interrogavit tanquam alienos: Unde venistis, et quo consilio?

Qui responderunt: Profecti sumus è regione Chanaan ut emamus frumentum.

Non est ita, inquit Josephus; sed venistis huc animo hostili: vultis explorare nostras urbes et loca Ægypti parum munita.

At illi, Minimè, inquiunt; nihil mali meditamur. Duodecim fratres sumus. Minimus retentus est domi à patre; alius verò non superest.

21 *Ne quid mali* por *ne aliquod genus mali.*

57. *Detiene consigo Joseph á Simeon hasta que le traigan sus hermanos á Benjamin.*

Illud Josephum angebat quòd Benjaminus cum cæteris non aderat.

Quare dixit eis: Experiar an verum dixeritis. Maneat unus ex vobis obses apud me, dum adducatur huc frater vester minimus. Cæteri, abite cum frumento.

Tunc cœperunt inter se dicere: Meritò hæc patimur. Crudeles fuimus in fratrem nostrum; nunc pœnam hujus sceleris luimus.

Putabant hæc verba non intelligi à Josepho, quia per interpretem cum eis loquebatur.

Ipse autem avertit se parumper, et flevit.

58. *Los hermanos de Joseph vuelven á su padre.*

Josephus jussit fratrum saccos impleri tritico, et pecuniam quam attulerant reponi in ore saccorum; addidit insuper cibaria in viam.

Deinde dimisit eos, præter Simeonem, quem retinuit obsidem.

Itaque profecti sunt fratres Josephi; et quum venissent ad patrem, narraverunt ei omnia quæ sibi acciderant.

Quum aperuissent saccos, ut effunderent frumenta, mirantes repererunt pecuniam.

59. *Jacob se resiste á la partida de Benjamin.*

Jacobus, ut audivit Benjaminum arcessi à præfecto Ægypti, cum gemitu questus est.

« Orbum me liberis fecistis: Josephus mortuus est; Simeon retentus est in Ægypto; Benjaminum vultis abducere.

» Hæc omnia mala in me recidunt. Non dimittam Benjaminum; nam, si quid ei adversi acciderit in viâ, non potero ei superstes vivere; sed dolore oppressus moriar. »

60. *Instanle vivamente sus hijos para que consienta en ello.*

Postquam consumpti sunt cibi quos attulerant, Jacobus dixit filiis suis: Proficiscimini iterum in Ægyptum, ut ematis cibos. Qui responderunt: Non possumus adire præfectum Ægipti sinè Benjamino; ipse enim jussit illum ad se adduci.

Cur, inquit pater, mentionem fecistis de fratre vestro minimo?

Ipse, inquiunt, nos interrogavit an pater viveret, an alium

fratrem haberemus. Respondimus ad ea quæ sciscitabatur; non potuimus præscire eum dicturum esse : Adducite huc fratrem vestrum.

61. *Cede Jacob á los ruegos de sus hijos.*

Tunc Judas, unus è filiis Jacobi, dixit patri: «Committe mihi puerum; ego illum recipio in fidem meam; ego servabo, ego reducam illum ad te; nisi fecero, hujus rei culpa in me residebit. Si voluisses eum statim dimittere, jam secundò [22] huc rediissemus.» Tandem victus pater annuit: «Quoniam necesse est, inquit, proficiscatur Benjaminus vobiscum. Deferte viro munera et duplum pretium, ne fortè errore factum sit ut vobis redderetur prior pecunia.

62. *Manda preparar Joseph un abundante convite á sus hermanos.*

Nuntiatum est Josepho eosdem viros advenisse, et cum eis parvulum fratrem.

Jussit Josephus eos introduci domum, et lautum parari convivium.

Illi porrò metuebant ne arguerentur de pecunia quam in saccis repererant; quare purgaverunt se apud dispensatorem Josephi.

Jam semel, inquiunt, huc venimus. Reversi domum, invenimus pretium frumenti in saccis. Nescimus quonam casu id factum fuerit; sed eamdem pecuniam reportavimus.

Quibus dispensator ait: Bono animo estote. Deinde adduxit ad illos Simeonem qui retentus fuerat.

63. *Son admitidos á la audiencia de Joseph.*

Deinde Josephus ingressus est in conclave, ubi sui eum fratres exspectabant, qui eum venerati sunt offerentes munera.

Josephus eos clementer salutavit, interrogavitque: Salvusne est senex ille quem vos patrem habetis? Vivitne adhuc?

Qui responderunt: Salvus est pater noster; adhuc vivit.

Josephus autem, conjectis in Benjaminum oculis, dixit: Iste es frater vester minimus, qui domi remanserat apud patrem? Et rursus [23]: Deus sit tibi propitius, fili mi; et abiit festinans, quia commotus erat animo, et lacrymæ erumpebant.

22 *Secundò*, en segundo lugar. Sería preferible *iterum*.
23 *Et rursus*, suple *ait*.

64. *Hace Joseph introducir su copa de plata en el saco de Benjamin.*

Josephus, lotà facie, regressus, continuit se, et jussit apponi cibos. Tum distribuit escam unicuique fratrum suorum; sed pars Benjamini erat quintuplo [24] major quàm cæterorum. Peracto convivio, Josephus dat negotium dispensatori, ut saccos eorum impleat frumento, pecuniam simul reponat, et insuper scyphum suum argenteum in sacco Benjamini recondat.

Ille fecit diligenter quod jussus fuerat.

65. *Manda Joseph que los persigan.*

Fratres Josephi sese in viam dederant, necdum procul ab urbe aberant.

Tunc Josephus vocavit dispensatorem domûs suæ, eique dixit: Persequere viros, et quum eos assecutus fueris, illis dicito: Quare injuriam pro beneficio rependistis?

Subripuistis scyphum argenteum quo dominus meus utitur; improbè fecistis.

Dispensator mandata Josephi perfecit: ad eos confestim advolavit; furtum exprobavit; rei indignitatem exposuit.

66. *Encuentran la copa en el saco de Benjamin.*

Fratres Josephi responderunt dispensatori: Istud sceleris [25] longè à nobis alienum est. Nos, ut tute scis, retulimus bonâ fide pecuniam repertam in saccis. Tantùm abest ut furati simus scyphum domini tui. Apud quem [26] furtum deprehensum fuerit, is morte mulctetur.

Continuò deponunt saccos et aperiunt. Quos ille scrutatus invenit scyphum in sacco Benjamini.

67. *Vuelven á la ciudad, llenos de tristeza.*

Tunc fratres Josephi mœrore oppressi revertuntur in urbem.

Adducti ad Josephum, sese adjecerunt ad pedes illius. Quibus ille, Quomodo, inquit, potuistis hoc scelus admittere?

24 *Quintuplo* no se halla en los diccionarios; pero Lhomond ha podido formar esta palabra por analogía, puesto que se dice *duplum*, *duplo*.

25 *Istud sceleris*, por *istud scelus*.

26 *Postulamus ut is apud quem*, &c.

Judas respondit: Fateor, res est manifesta, nullam possumus excusationem afferre, nec audemus petere veniam aut sperare; nos omnes erimus servi tui.

Nequaquam, ait Josephus; sed ille apud quem inventus est scyphus, erit mihi servus; vos autem abite liberi ad patrem vestrum.

68. *Ofrécese Judas en servidumbre en lugar de Benjamin.*

Tunc Judas accedens propiùs ad Josephum: Te oro, inquit, domine mi, ut boná cum veniá me audias. Pater unicè diligit puerum. Nolebat primò eum dimittere. Non potui id ab eo impetrare, nisi postquam spopondi eum tutum ab omni periculo fore. Si redierimus [27] ad patrem sinè puero, ille, mœrore confectus, morietur.

Te oro atque obsecro, ut sinas puerum abire, neque pro eo addicas in servitutem. Ego pœnam, quâ dignus est, mihi sumo et exsolvam.

69. *Descúbrese Joseph á sus hermanos.*

Interea Josephus continere se vix poterat; quare jussit Ægyptios adstantes recedere.

Tum flens dixit magnâ voce: Ego sum Josephus. Vivitne adhuc pater meus?

Non poterant respondere fratres ejus nimio timore perturbati.

Quibus ille amicè: Accedite, inquit, ad me. Ego sum Josephus, frater vester, quem vendidistis mercatoribus euntibus in Ægyptum. Nolite timere: Dei providentiâ id factum est, ut ego saluti vestræ consulerem.

70. *Encárgales que traigan á su padre al Egipto.*

Josephus hæc locutus fratrem suum Benjaminum complexus est, eumque lacrimis conspersit.

Deinde cæteros quoquè fratres collacrymans osculatus est. Tum demum illi cum eo fidenter locuti sunt.

Quibus Josephus: Ite, inquit, properate ad patrem meum, eique nuntiate filium suum vivere, et apud Pharaonem plurimùm posse. Persuadete illi ut in Ægyptum cum omni familiâ commigret.

27 *Redierimus*, futuro anterior, por *redeamus*.

71. *Envia Pharaon presentes y carros á Jacob.*

Fama de adventu fratrum Josephi ad aures regis pervenit; qui dedit eis munera perferenda ad patrem cum his mandatis: Adducite huc patrem vestrum et omnem ejus familiam, nec multùm curate supellectilem vestram, quia omnia quæ opus erunt vobis præbiturus sum, et omnes opes Ægypti vestræ erunt.

Misit quoquè currus ad vehendum senem, et parvulos [28] et mulieres.

72. *Anuncian los hermanos de Joseph á su padre que aquel está vivo.*

Fratres Josephi festinantes reversi sunt ad patrem suum, eique nuntiaverunt Josephum vivere, et principem esse totius Ægypti.

Ad quem nuntium Jacobus, quasi è gravi somno excitatus, obstupuit, nec primùm filiis rem narrantibus fidem adhibebat. Sed, postquam vidit plaustra et dona sibi à Josepho missa, recepit animum; et Mihi satis est, inquit, si vivit adhuc Josephus meus. Ibo, et videbo eum antequam moriar.

73. *Dirígese Jacob á Egipto con toda su familia.*

Jacobus, profectus cum filiis et nepotibus, pervenit in Ægyptum, et præmisit Judam ad Josephum, ut eum faceret certiorem de adventu suo.

Confestim Josephus processit obviàm patri. Quem ut vidit, in collum ejus insiliit, et flens flentem complexus est.

Tum Jacobus: Satìs diù vixi, inquit; nunc æquo animo moriar, quoniam conspectu tuo frui mihi licuit, et te mihi superstitem relinquo.

74. *Joseph anuncia al rey la llegada de su padre.*

Josephus adiit Pharaonem, eique nuntiavit patrem suum advenisse; constituit etiam quinque è fratribus suis coram rege.

Qui eos interrogavit quidnam operis [29] haberent. Illi responderunt se esse pastores.

Tum rex dixit Josepho: Ægyptus in potestate tuà est. Cura ut pater et fratres tui in optimo loco habitent; et, si qui sint inter eos gnavit et industrii, trade eis curam pecorum meorum.

28 *Parvulus* no se emplea sustantivamente por *puerulus*, niño.

29 *Quidnam operis*, por *quodnam genus operis*.

75. *Presenta Joseph su padre á Pharaon.*

Josephus adduxit quoque patrem suum ad Pharaonem, qui, salutatus à Jacobo, percontatus est ab eo quâ esset ætate.

Jacobus respondit regi: Vixi centum et triginta annos, nec adeptus sum senectutem beatam avorum meorum. Tum, bene precatus regi, discessit ab eo.

Josephus autem patrem et fratres suos collocavit in optimâ parte Ægypti, eisque omnium rerum abundantiam suppeditavit.

76. *Pide Jacob ser enterrado en la tumba de sus padres.*

Jacobus vixit septem et decem annos, postquam commigrâsset in Ægyptum.

Ubi sensit mortem sibi imminere, arcessito Josepho dixit: Si me amas, jura te id facturum esse quod à te petam, scilicet ut ne [30] me sepelias in Ægypto, sed corpus meum transferas ex hac regione, et condas in sepulchro majorum meorum.

Josephus autem, Faciam, inquit, quod jubes, pater.

Jura ergo mihi, ait Jacobus, te certò id facturum esse.

Josephus juravit in verba patris.

77. *Presenta Joseph á Jacob sus dos hijos para que los bendiga.*

Josephus adduxit ad patrem duos filios suos, Manassem et Ephraimum. Posuit Manassem, qui natu major erat, ad dextram senis, Ephraimum verò minorem, ad sinistram ejus.

At Jacobus decussans manus dextram imposuit Ephraimo, sinistram autem Manassi, et utrique simul bene precatus est.

Quod Josephus animadvertens ægre tulit, et conatus est manus patris commutare.

At pater restitit, dixitque Josepho: Scio, fili mi, scio hunc esse majorem natu, et illum minorem; id prudens feci.

Ita Jacobus Ephraimum Manassi anteposuit.

78. *Tributa Joseph á su padre los últimos honores.*

Ut vidit Josephus exstinctum patrem, ruit super eum flens, et osculatus est eum, luxitque illum diù.

Deinde præcepit medicis ut condirent corpus; et ipse cum fratribus multisque Ægyptiis patrem deportavit in regionem Chanaam.

30 *Ut ne* por *ni non*, ó simplemente por *ne*.

mus fecerunt cum magno planctu, et sepelierunt corpus in spelunca ubi jacebant Abrahamus et Isaacus ; reversique sunt in Ægyptum.

79. *Consuela á sus hermanos.*

Post mortem patris, timebant fratres Josephi ne ulcisceretur injuriam quam acceperat. Miserunt igitur ad illum rogantes nomine patris, ut eam oblivisceretur, sibique condonaret.

Quibus Josephus respondit: Non est quod timeatis [31]. Vos quidem malo in me animo fecistis, sed Deus convertit illud in bonum; ego vos alam et familias vestras. Consolatus est eos plurimis verbis, et leniter cum illis locutus est.

80. *Muerte de Joseph.*

Josephus vixit annos centum et decem; quumque esset morti proximus, convocavit fratres suos, et illos admonuit se brevi moriturum esse.

Ego, inquit, jam morior. Deus vos non deseret, sed erit vobis præsidio; et deducet vos aliquando ex Ægypto in regionem quam patribus nostris promisit. Oro vos atque obtestor ut illuc ossa mea deportetis.

Deinde placidè obiit. Corpus ejus conditum est, et in feretro positum.

81. *Persecucion de los israelitas despues de la muerte de Joseph.*

Interea posteri Jacobi, seu Hebræi, numero aucti sunt mirum in modum, et eorum multitudo crescens in dies metum incutiebat Ægyptiis.

Rex novus solio potitus est, qui Josephum non viderat, nec merita ejus recordabatur.

Is igitur, ut Hebræos opprimeret, primùm duris illos laboribus conficiebat; deinde edixit etiam ut parvuli eorum recèns nati in flumem projicerentur.

82. *Nacimiento de Moisés.—Año del mundo* 2453.

Mulier hebræa peperit filium; quem quum videret elegantem, voluit servare.

Quare abscondit eum tribus mensibus; sed, quum non posset eum diutiùs occultare, sumpsit fiscellam scirpeam, quam linïvit [32] bitumine ac pice.

31 *Non est quod timeatis.* La construccion es: *aliqua quod timeatis non est vobis.*

32 Véase la nota del párrafo 11.

Deinde posuit intus infantulum [33] et exposuit eum inter arundines ripæ fluminis.

Habebat secum unam comitem, sororem pueri, quam jussit stare procul, ut eventum rei exploraret.

83. *Salva la hija de Pharaon al niño.*

Mox filia Pharaonis venit ad flumen ut ablueret corpus. Prospexit fiscellam in arundinibus hærentem, misitque illuc unam è famulabus [34] suis.

Apertâ fiscellâ, cernens parvulum vagientem, miserta est illius. Iste est, inquit, unus ex infantibus Hebræorum.

Tunc soror pueri accendens: Visne, ait, ut arcessam mulierem hebræam quæ nutriat parvulum? Et vocavit matrem.

Cui filia Pharaonis puerum alendum dedit, promissâ mercede.

Itaque mater nutrivit puerum, et adultum reddidit filiæ Pharaonis, quæ illum adoptavit, et nominavit Mosem, id est servatum ab aquis.

84. *Acomete Moisés la empresa de libertar á su pueblo.*

Moses, jam senex, jubente Deo, adiit Pharaonem, eique præcepit, nomine Dei, ut dimitteret Hebræos.

Rex impius renuit parere mandatis Dei.

Moses, ut Pharaonis pertinaciam vinceret, multa et stupenda edidit prodigia, quæ vocantur, *plagæ Ægypti.*

Quum nihilominus Pharao in sententiâ perstaret, Deus interfecit primogenitum ejus filium et omnes primogenitos Ægyptiorum.

Tandem metu victus rex paruit, deditque Hebræis discedendi facultatem.

85. *Salen los hebreos del Egipto conducidos por una columna de fuego.*

Profecti sunt Hebræi ex Ægypto ad sexcenta millia virorum [35] præter parvulos et promiscuum vulgus.

33 *Infantulus* no es de buena latinidad.

34 Los dativos masculinos *asinis*, *cervis*, *equis*, *famulis*, etc. sirven en latin para ambos géneros; y no se dice *asinabus*, *cervabus*, *equabus*, *famulabus*, etc. para designar las asnas, las ciervas, las yeguas, las siervas. No se ha hecho uso de estos dativos sino en los actos públicos, y principalmente en los testamentos para distinguir mejor las especies; *propter testamentorum necessitatem*, dice Servio. El único dativo plural en *abus* que haya sido autorizado es *deabus*; hállasele en Ciceron (*pro Rabirio*, cap. 2.).

35 *Hominum* sería aquí mas exacto que *virorum*.

Illis egredientibus præibat columna nubis [36] interdiu, et columna ignis noctu, quæ esset dux viæ; nec unquam per quadraginta annos defuit illa columna.

Post paucos dies, multitudo Hebræorum pervenit ad littus maris Rubri, ibique castra posuit.

86. *Separa Moisés las aguas del Mar Rojo.*

Brevi regem pœnituit quòd tot millia hominum dimisset, et, collecto ingenti exercitu, eos persecutus est.

Hebræi, quum vidissent ex unà parte se mari interclusos esse, ex alterà parte instare Pharaonem cum omnibus copiis, magno timore correpti sunt.

Tunc Deus Mosi, Protende, inquit, dexteram tuam in mare, et divide aquas, ut illæ Hebræis gradientibus iter siccum præbeant.

87. *Pasan los hebreos la mar á pié enjuto.*

Fecit Moses quod jusserat Deus. Quum teneret manum extensam super mare, aquæ divisæ sunt, et intumescentes hinc et inde pendebant.

Flavit etiam ventus vehemens, quo exsiccatus est alveus.

Tunc Hebræi ingressi sunt in mare siccum; erat enim aqua tamquam murus à destrà eorum et lævà.

Rex quoquè Ægyptius Hebræos gradientes insecutus, non dubitavit mare, quà patebat, ingredi cum universo exercitu.

88. *Son los egipcios sepultados por las olas.*

Quum Ægyptii progrederentur in medio mari, Dominus subvertit eorum currus et dejecit equites.

Metu perculsi Ægyptii, cœperunt fugere; et Deus dixit Mosi: Extende rursus dextram in mare, ut aquæ revertantur in locum suum.

Paruit Moses, et statim aquæ refluentes obruerunt Ægyptios, et eorum currus, et equites.

Deletus est universus exercitus Pharaonis in mediis fluctibus; nec unus quidem nuntius tantæ cladis superfuit.

Sic Deus liberavit Hebræos ab injustâ servitute Ægyptiorum.

36 Las expresiones *columna nubis*, *columna ignis* que pertenecen al texto sagrado, son dos hebraismos: en latin se diria *columna nebulosa*, *columna ignea*.

89. *El manná del desierto.*

Hebræi, trajecto mari Rubro, diù peragrârunt vastam solitudinem.

Deerat panis. At Deus ipse eos aluit: è cœlo per annos quadraginta cecidit cibus, quem appellaverunt *manna*.

Inerat huic cibo gustus similæ cum melle mixtæ.

Interdum etiam defuit aqua. At, jubente Deo, Moses percutiebat rupem virgâ; et continuò erumpebant fontes aquæ dulcis.

90. *Anuncia Dios su ley en medio de rayos y relámpagos.*

Mense tertio, postquam Hebræi egressi sunt ex Ægypto, pervenerunt ad montem Sinæ.

Ibi Deus dedit eis legem cum apparatu terrifico.

Cœperunt exaudiri tonitrua, micare fulgura; nubes densa operiebat montem, et clangor buccinæ vehementiùs perstrepebat.

Stabat populus præ metu trepidus ad radices montis fumantis.

Deus autem in monte loquebatur è mediâ nube inter fulgura et tonitrua.

91. *Principales artículos de la ley.*

Hæc porrò sunt verba quæ protulit Deus: «Ego sum Dominus qui »eduxi vos è servitute Ægyptiorum.

»Non erunt vobis dii alieni; ego unus Deus, et non est alius præ»ter me.

»Non usurpabitis nomem Dei vestri temerè et sinè causâ.

»Sabbato nullum opus facietis. Colite patrem vestrum et matrem »vestram. Non occidetis; non adulterabitis.

»Non facietis furtum; non dicetis falsum testimonium adversùs pro»ximum vestrum; non concupiscetis rem alterius.»

92. *Construccion del tabernáculo y del arca.—Muere Moisés.*

Moses, à Deo monitus, confici jussit tabernaculum ex pellibus et cortinis pretiosissimis, insuper arcam fœderis auro puro vestitam, in quâ reposuit tabulas legis divinæ.

Quum jam in conspectu haberet terram à Deo promissam, mortuus est vir sapientiâ et cæteris virtutibus planè admirabilis.

Luxit eum populus diebus triginta.

Successit in locum Mosis Josue, quem ipse priùs designaverat.

93. *Pasan los hebreos el Jordan á pié enjuto bajo el mando de Josué.*

Ut Hebræi in terram promissam introducirentur, Jordanis erat trajiciendus; nec erat iis navium copia, nec vadum præbebat amnis, tunc pleno alveo fluens.

Deus venit eis auxilio; Josue jussit præferri arcam fœderis, et populum sequi.

Appropiquante arcâ, aquæ quæ supernè defluebant, steterunt instar muri; quæ autem infra, descenderunt, et alveum siccum reliquerunt.

94. *Levanta Josué un monumento.*

Hebræi incidebant per arentem alveum, donec ripam oppositam attingerent.

Tum reversæ sunt aquæ in locum pristinum.

Josue verò duodecim lapides è medio amne sublatos erexit, ut essent perenne rei monumentum.

Dixit Hebræis: Si quando vos interrogaverint filii vestri, quorsum spectet ista lapidum congeries, respondebitis: Sicco pede trajecimus Jordanem istum. Idcirco positi sunt lapides ad sempiternam facti memoriam, ut discant quanta sit Dei potentia.

95. *Derrúmbanse por sí mismas las murallas de Jericó.*

Erat in his locis urbs validissimis muris ac turribus munita, nomine Jericho, quæ nec expugnari, nec obsideri facilè poterat.

Josue, divino auxilio fretus, non armis aut viribus urbem agressus est.

Arcam circumferri jussit circa muros, sacerdotesque antecedere, et tubâ canere.

Quum arca septies circumlata fuisset, muri et turris illico corruerunt.

Urbs capta et direpta est.

96. *Detiene Josué el sol.*

Reges Chanaan, conjunctis viribus, progressi sunt adversùs Hebræos.

At Deus dixit Josue: Ne timeas eos; tua erit victoria.

Josue igitur magno impetu illos adortus est, qui subitâ formidine correpti fugerunt.

Tunc in eos cecidit grando lapidea, et multos interfecit.

Quum autem dies in vesperum inclinaret, re nondum conjectâ Josue jussit solem consistere: et verò stetit sol, et diem produxit, donec deletus fuisset hostium exercitus.

97. *Establece Josué á los hebreos en la tierra prometida, y muere.*

Josue, devictis omnibus Palæstinæ populis, Hebræos in sede destinatâ collocavit, agros et oppida capta singulis tribubus divisit, et mortuus est.

Deinde summa potestas delata est ad judices, inter quos eminuere Gedeon, Samson et Samuel.

Varia deinceps fuit Hebræorum fortuna pro variis eorum moribus. Ii sæpe in Deum peccaverunt. Tunc divino præsidio destituti, ab hostibus superabantur. Quoties ad Deum conversi, ejus auxilium imploraverunt, placatus Deus eos liberavit.

98. *Aparécese un ángel á Gedeon y le envia á libertar su pueblo.*

Hebræi à Madianitis vexati opem à Deo petierunt. Deus illorum preces audivit.

Angelus adstitit Gedeoni: Dominus tecum, inquit, vir fortissime.

Respondit Gedeon: Si Deus nobiscum est, cur durâ premimur servitute?

Ait angelus: Macte animo; liberabis populum tuum à servitute Madianitarum.

Nolebat primò Gedeon tantum onus suscipere; sed, duplici miraculo confirmatus, non abnuit.

99. *Levanta Gedeon un ejército y marcha contra los madianitas.*

Gedeon, contracto exercitu, profectus est cum duobus et triginta millibus hominum, et castra castris hostium contulit.

Erat porrò infinita multitudo in exercitu Madianitarum; nam cum iis rex Amalecitarum se conjunxerat.

Tamen Deus dixit Gedeoni: Non opus est tibi tot millibus hominum; dimissis cæteris, retine tantum trecentos viros, ne victoriam suæ virtuti tribuant, non potentiæ divinæ.

100. *Combate Gedeon y obtiene la victoria.*

Gedeon trecentos viros in tres partes divisit, deditque illis tubas et lagenas testaceas, in quibus erant lampades accensæ.

Ili, mediâ nocte ingressi castra hostium, cœperunt tubis clangere, et collidere inter se lagenas.

Madianitæ, audito tubarum sonitu et visis lampadibus, turbati sunt, et turpi fugâ, quò quisque potuit, dilapsi sunt.

Denique gladios in se invicem converterunt, et mutuâ cæde se trucidarunt.

Gedeon hostium reges persecutus est, et comprehensos neci dedit.

101. *Nacimiento de Samson; su fuerza extraordinaria.*

Quum Hebræi in potestate essent Philistæorum, et ab illis affligerentur, natus est Samson, futurus ultor hostium.

Hujus mater diù sterilis fuerat; sed ei angelus Domini apparuit, prædixitque eam parituram filium qui cives suos in libertatem aliquando vindicaret.

Enixa puerum, nomem Samsonis ei indidit.

Puer crevit. Intonsam habuit comam, nec vinum, nec siceram bibit. Incredibili fuit corporis robore; obvium leonem manu interfecit.

102. *Llegado Samson á edad adulta, molesta á los filisteos.*

Samson adultus Philistæos multis affecit cladibus. Cepit trecentas vulpes, quarum caudis accensas lampades alligavit, et in hostium agros immisit.

Tunc fortè messis matura erat; ita facile incendium fuit.

Omnes segetes, vineæ et oleæ exustæ sunt, nec inimicam gentem variis incommodis vexare destitit.

Traditus Philistæis, rupit vincula quibus constrictus fuerat, et, arreptâ maxillâ asini, hoc telo, quod casus dederat, mille hostium prostravit.

103. *Encerrado Samson en una ciudad, arranca las puertas de ella con sus dinteles.*

Quàdam die Samson urbem Philistæorum ingressus est, ibique pernoctaturus videbatur.

Philistæi, occasionem captantes, portas obserari jusserunt, ne quis exiret.

Per totam noctem exspectabant silentes, ut Samsonem manè exeuntem interficerent.

At Samson mediâ nocte surrexit, venitque ad portam urbis. Quam, quum invenisset clausam, humeris sustulit cum postibus et seris, atque in verticem montis vicini supportavit.

104. *Traicion de su muger.*

Tandem Philistæi, qui Samsonem comprehendere nequiverant, illius uxorem pecuniâ corruperunt, ut ea virum proderet.

Mulier [37] viro persuasit, ut sibi indicaret causam tantæ virtutis; et, ubi rescivit vires ejus in capillis sitas esse, caput dormientis totondit, atque ita eum Philistæis tradidit.

Illi, effossis oculis, vinctum in carcerem conjecerunt, diùque ludibrio habuerunt.

Sed spatio temporis crinis accisus crescere, et cum crine virtus redire cœpit. Jamque Samson, conscius recepti roboris, justæ ultionis tempus opperiebatur.

105. *Muere Samson, haciendo perecer tres mil filisteos.*

Erat Philistæis mos, quum dies festos agerent, producere Samsonem quasi in pompam publicam, captoque insultare.

Die quâdam, quum publicum convivium celebraretur, Samsonem adduci jubent.

Domus in quâ omnis populus et principes Philistæorum epulabantur, subnixa erat duabus columnis miræ magnitudinis.

Adductus Samson inter columnas statuitur.

Tum ille, occasione utens, columnas concussit, et turba omnis obruta est ruinâ domûs; simulque Samson ipse, cum hostibus, non inultus occubuit.

106. *Nacimiento de Samuel.*

Quum Heli esset summus sacerdos, natus est Samuel. Hunc adduxit mater ad sacerdotem, et obtulit Domino, ut ei in sacrificiis faciendis ministraret.

Puer crescebat egregiâ præditus indole, eratque Deo et hominibus carus. Cui mater sua certis temporibus afferebat parvam tunicam, quam ipsa confecerat.

Heli verò habebat filios perditis moribus, adeò ut populum à colendo Deo abducerent, nec satis graviter eos unquam reprehendit.

Quamobrem Deus erat et liberis et patri iratus.

107. *Revela Dios á Samuel el castigo que reserva á Heli.*

Quâdam nocte, quum jaceret Heli in lectulo, Dominus vocavit Sa-

37 *Conjux* ó *uxor* sería mas exacto que *mulier*.

muelem, qui, ratus se à sacerdote arcessi, cucurrit, dixitque: En adsum, vocâsti enim me.

At Heli: Non te vocavi, inquit, fili mi; revertere in lectulum tuum. Idque iterum et tertiò factum est.

Tandem præmonitus à sacerdote, Samuel respondit Deo vocanti: Loquere, Domine; audit enim servus tuus.

Tum Deus Samueli: Ego, ait, afficiam domum Heli iis malis quæ nemo audire possit, quin ei ambæ aures tinniant, propterea quod in liberos suos plus æquo indulgens fuerit, illorumque vitia nimiùm patienter tulerit.

108. *Descubre Samuel á Heli lo que Dios le habia revelado.*

Arctior deinde somnus Samuelem complexus est, qui dormivit usque manè.

Ubi dies illuxit, surgens è lectulo aperuit ostium tabernaculi, utì facere consueverat; timebat autem sacerdoti indicare sermonem Dei.

Heli compellans eum: Oro te, inquit, et obtestor, indica mihi ea quæ dixit Deus; cave ne me quidquam celes eorum quæ audivisti.

Jubenti paruit Samuel, illique enarravit omnia verba Domini. Cui Heli: Dominus est, ait; faciat quod sibi libuerit.

109. *Caen las desgracias sobre Heli y sobre sus hijos.*

Paulò pòst bellum exortum est inter Philistæos et Hebræos.

Hebræi arcam fœderis in pugnam deferunt, et cum eâ filii sacerdotis procedunt. Sed quia Deus illis erat offensus, arca detrimento magis quàm adjumento fuit.

Victi sunt Hebræi, occisi filii sacerdotis, arca ipsa capta est.

Heli, audito tantæ cladis nuntio, è sellâ decidit, et, fractâ cervice, mortuus est.

110. *Samuel, último juez de los hebreos.—Es Saul elegido rey.—Año del mundo* 2900.

Samuel fuit postremus Hebræorum judex, eorumque res in summâ pace et perpetuâ tranquillitate administravit.

At quum senuisset, et filii ejus à moribus paternis desciscerent, populus novitatis amans ab illo regem petiit.

Samuel primò rem dissuasit, Hebræosque ab isto consilio dimovere conatus est, sed illi in sententiâ perstiterunt.

Quare admonitus à Deo Samuel annuit eorum postulationi, et Saulem regem consecravit.

Erat Saulis ingens statura, et forma excellens, adeò ut dignitas corporis dignitati regiæ pulchrè conveniret.

111. *Primera desobediencia de Saul.*

Philistæi in agrum Hebræorum irruptionem fecerunt.

Quapropter Saul adversùs illos processit, et apud Galgala, urbem insignem istius regionis, castra posuit.

Porrò Samuel edixerat ut se per septem dies exspectarent, neve manum cum hoste priùs consererent, quàm ipse veniens Deo sacrificium faceret.

Die septimo, quum Samuel moraretur, et populus moræ pertæsus dilaberetur, Saul ipse sacrificium fecit loco sacerdotis.

Vix peracto sacrificio, venit Samuel, regemque graviter reprehendit quòd munus proprium sacerdotum sibi temerè arrogavisset.

112. *Derrota Jonathás, hijo de Saul, el ejército filisteo.*

Quum Hebræi à Philistæis premerentur, Jonathas, Saulis filius, audax consilium fecit et perfecit.

Solo armigero comite, castra hostium ingressus est, et viginti ferè Philistæis interemptis, universum exercitum terrore percutit.

Itaque Philistæi perturbati, cœperunt non jam ordines servare, non imperia exsequi, sed fugæ se committere.

Quod ubi Saul animadvertit, copias castris eduxit, et fugientes persecutus insignem victoriam retulit.

113. *Intenta Saul dar muerte á su hijo Jonathás.*

Saul, dum persequeretur Philistæos, edixerat ne quis, nisi confectis hostibus, cibum sumeret, mortem cum juramento minatus illi qui contra edictum fecisset.

Jonathas tunc aberat, nec regis imperium audierat.

Accidit ut exercitus trajiceret silvam in quâ esset plurimùs mellis agrestis.

Jonathas, edicti paterni nescius, extendit virgam quam manu tenebat, eamque [38] in mel intinctam ori admovit.

Id ubi rex cognovit, filium morte plecti voluit, sed recens meritum periculo juvenem exemit; nec populus tulit juvenem ad supplicium trahi.

38 En la Vulgata se lee: *Summitátem virgæ intinxit infavum mellis.* Esto es un hebraismo. El verbo *intingere* y su participio *intinctus* exigen siempre su complemento en ablativo.

114. *Segunda desobediencia de Saul: es despojado de la púrpura: David es ungido por Samuel.*

Saul postea, jubente Deo, bellum Amalecitis intulit. Primò rem bene gessit; cæsi sunt hostes, et eorum rex captus est.

Sed deinde Saul Deum graviter offendit. Vetuerat Deus ne quid ex spoliis hostium reservaretur. Saul verò, Amalecitis cæsis, partem prædæ servavit.

Quam ob causam rejectus est à Deo, et in ejus locum David, adhuc juvenis, è tribu Judæ electus est, et à Samuele unctus.

115. *Saul es agitado por el demonio: David es llamado á la corte para calmarle.*

Saulem, postquam Dei mandata sprevisset, invasit spiritus malus, ita ut ille in furorem sæpe incideret.

Tunc aulici ei suaserunt ut aliquem arcesseret, qui citharam sciret pulsare, ad deliniendum ægrum ejus animum.

Arcessitus est David hujusce artis peritus, qui, ob illud munus, inter ministros regios habebatur.

Itaque statim ac Saulem spiritus malus corripiebat, David citharam pulsabat, et regis furor considebat.

116. *Desafia el gigante Goliath á los hebreos.*

Secutum est bellum cum Philistæis. Quum duæ acies in conspectu essent, Philistæus quidam, nomine Goliathus, vir miræ magnitudinis, progressus est ante ordines, et unum ex Hebræis sæpe provocabat ad singulare certamen.

Loricâ squamatâ induebatur [39]: ocreas in cruribus æreas habebat; cassis ærea caput ejus operiebat, et clypeus æreus tegebat humeros.

Tunc Saul magna præmia, imò et filiæ nuptias ei promisit qui provocantis spolia retulisset.

At nemo contra illum exire audebat; et Goliathus suam Hebræis ignaviam cum irrisu ac ludibrio exprobrabat.

117. *Preséntase David para pelear con Goliath.*

David, commotus ignominiâ populi sui, se spontè ad pugnandum obtulit.

39 Mejor diría *erat indutus*, estaba revestido. *Induebatur* significa simplemente *se revestia*.

Itaque adductus est ad Saulem, qui, considerata ejus ætate, diffidebat pugnæ.

Non poteris, inquit, adolescentulus [40] cum viro robustissimo pugnare.

Respondit David: Ne timeas, o rex. Quum pascerent oves patris mei, leo invasit gregem, ovemque corripuit. Ego illum persecutus occidi, et ovem è faucibus illius eripui. Ursum pariter interfeci. Deus qui me defendit à leone et urso, me quoquè à Philistæo isto defendet. Tunc Saul: Abi, inquit, cum istâ fiduciâ. Deus te adjuvet.

118. *Toma David por armas una honda y se dirige contra Goliath.*

Saul ipse sua juveni arma voluit accommodare; galeam capiti ejus imposuit, loricâ pectus circumtexit, [41] latus gladiô accinxit.

David verò iis impeditus armis quibus non erat assuetus, vix poterat incedere.

Quare onus incommodum deposuit; sumpsit autem pedum pastorale, quo uti consueverat, et fundam cum quinque lapidibus in sacculo. Sic armatus adversus Philistæum processit.

119. *Mata David al gigante.*

Accedebat ex adverso Goliathus, qui, viso adolescente: Num, inquit, me canem esse putas, qui mecum baculo aggrediaris? Cui David respondit: Tu venis ad me cum gladio et hastâ et clypeo; ego autem venio in nomine Domini exercituum, quem probris ausus es lacessere.

Tunc, misso fundâ lapide, Philistæum in fronte percussit, et humi prostravit, currensque suum jacenti gladium detraxit, quo caput illi præcidit.

Eâ re perculsi Philistæi in fugam versi sunt, et victoriam Hebræis concesserunt.

120. *Tiene Saul envidia de David.*

Redeunti Davidi obviàm itum est. Hebræi gratulantes victorem deducunt ad urbem; ipsæ mulieres domibus egressæ cum tympanis laudes ejus canebant.

Tantus populi favor invidiam Saulis accendit, qui deinceps malevolo fuit in Davidem animo, nec jam eum benignis oculis adspicie-

40 Suple *quum sis.*

41 *Circumtego* no tiene pretérito ni supino. *Texit* bastaba para expresar el pensamiento.

bat. Longè alia fuit mens filii ejus Jonathæ. Virtutem Davidis admirans, illum singulari amore complexus est, suoque balteo, arcu et gladio donavit.

121. *Niégase Saul á cumplir la promesa que habia hecho.*

Saul victori filiam suam spoponderat uxorem; at promissis non stetit, novamque conditionem proposuit, si nempe David centum Philistæos interfecisset.

Malo animo id faciebat rex invidus; sperabat scilicet juvenem audacem facilè periturum. At sua eum spes delusit.

Nam David, occisis ducentis Philistæis, rediit illæsus, atque ita regis filiam in matrimonium accepit.

122. *Procura por varios modos dar muerte á David.*

Crescebat in dies Saulis odium, stimulante invidiâ; quare non jam occultè, sed palàm, Davidi necem parabat.

Bis eum lanceâ confodere conatus est; sed David ictum lethalem declinatione corporis effugit.

Saul mandatum dedit Jonathæ, ut Davidem occideret; sed Jonathas noluit crudeli patris imperio obsequi; imò cum lacrymis illum obtestatus est ut tam iniquum consilium deponeret.

Denique Saul misit satellites, qui Davidem domi, in oculis [42] uxoris, trucidarent. Hæc verò maritum demisit per fenestram, atque ita eripuit periculo.

123. *Salva David en su fuga la vida de Saul que le perseguia.*

David, ut vidit implacabilem esse Saulis in se animum, excessit aulâ, et solitudinem petiit.

Saul illum persecutus est; at, Deo favente, David inimici manus effugit, et ipse Saulis vitam non semel servavit.

Erat in deserto [43] spelunca vasto recessu patens; ibi David cum suis comitibus in interiore parte latebat.

Fortè Saul solus in illam speluncam ingressus est, nec latentes vidit, oppressusque somno quievit.

42 *In conspectu ó sub oculis*, es mucho mas usado que *in oculis*, á la vista.

43 Prudencio incurrió en el error de emplear *deserta, desertorum*, en singular: *Quinque in deserta panes.* (APOTH. 710.) San Gerónimo dijo tambien *desertum hujus sæculi.* (EPIST. 125, n. 2.) El plural es solo usado como sustantivo. *Libyæ deserta peragro, deserta per ardua, vasta deserta, desertorum volucres.*

Sui Davidem comites hortabantur ut opportunam Saulis interficiendi occasionem arriperet; sed David noluit, quum impunè posset, inimicum occidere.

124. *Muerte de Saul.*

Motum est rursus bellum cum Philistæis; adversùs quos Saul cum exercitu processit.

Commissâ pugnâ, Hebræi fusi sunt. Tres filii regis in acie ceciderunt. Saul ipse ex equo delapsus, ne vivus in potestatem hostium veniret, uni comitum latus transfodiendum præbuit.

Regis mortem omnium Hebræorum fuga consecuta est, et, eo die, victoriâ insigni potiti sunt Philistæi.

125. *David llora la muerte de Saul, su enemigo.*

David, auditâ Saulis morte, lacrymas profudit. Montes Gelboe, ubi cædes illa facta fuerat, exsecratus est. Illum qui à se Saulem occisum esse jactitabat, et regia insignia attulerat, perimi jussit, in pœnam violatæ majestatis regiæ.

Civibus urbis Jabes, quòd Saulis ejusque filiorum corpora sepelivissent, gratiam retulit.

Admirandum sanè veri ac sinceri erga inimicum amoris exemplum.

126. *Comete David dos grandes crímenes.*

David, postquam solium conscendit, duples scelus, et quidem gravissimum, commisit.

Adamavit mulierem, nomine *Betsaben*, eamque ad flagitium compulit.

Mulieris maritus, nomine Urias, vir fortissimus, tum in castris erat, et egregiam patriæ operam navabat.

Hunc David iniquo pugnæ loco hostibus objici jussit, atque ita necandum curavit.

At Deus ad Davidem misit prophetam [44], qui illum admoneret, eique pœnam sceleris denuntiaret subeundam.

127. *Propone el profeta al rey culpable una parábola.*

Sic Davidem allocutus est propheta: « Erant in eâdem urbe duo

44 *Propheta*, palabra griega muy usada en los libros santos y en los autores eclesiásticos. Esta voz equivale entre los latinos á la de *vates*.

»homines. Alter dives multos bovum, caprarum atque ovium greges »alebat; alter verò nihil habebat præter ovem unam quam ipse eme»rat, et apud se diligenter nutriebat.

» Venit ad hominem divitem hospes quidam; quumque ei paran»dum esset convivium, dives ille pepercit suis ovibus, et oviculam [45] »pauperis vi ereptam, hospiti edendam apposuit.

» Tuum est, o rex, de hoc facto judicare.»

128. *Aplica el profeta la parábola á David.*

Rex indignans respondit: Iniquè fecit, quisquis ille est; pro ove ablatâ quatuor oves reddet.

Tum propheta apertè: Tu, ait, tu est iste vir [46]. Te Deus bonis omnibus cumulavit: te regem fecit; te ab irâ Saulis liberavit; tibi regiam domum, regias opes tradidit.

Cur ergo uxorem Uriæ rapuisti? Cur virum innoxium, virum tibi militantem, gladio hostium interfecisti?

His prophetæ verbis motus, David culpam agnovit et confessus est.

Cui propheta: Tibi, inquit, Deus condonat peccatum tuum. Attamen filius, qui natus est tibi, morietur.

129. *Ayuna David, y ora por la vida de uno de sus hijos.*

Paulò pòst infans in gravem morbum incidit. Per septem dies David in magno luctu fuit, cibo abstinens et orans.

Die septimo, infans mortuus est; nec ausi sunt famuli id regi nuntiare.

Quos ut vidit David mussitantes, intellexit id quod erat, mortuum esse infantem.

Tunc, luctu deposito, jussit sibi apponi cibos, mirantibusque aulicis dixit: Ægrotante puerulo, jejunus orabam, sperans scilicet Deum placari posse. Nunc autem quum mortuus sit, cur frustra lugeam? Num potero illum ad vitam revocare?

130. *Rebélase Absalon contra su padre.*

Ad hunc dolorem alius accessit dolor. Absalon, filius Davidis, pa-

45 *Ovicula* se halla en Aurelio Victor y en San Agustin. Este diminutivo era desconocido en el siglo de Augusto.

46 La palabra *vir* es aquí inútil, y no está empleada en su significacion ordinaria.

ternum regnum affectavit; concitatâ multitudine imperitâ, adversus patrem rebellavit.

Id ubi cognovit David, excessit Hierosolymâ, veritus ne, si ibi remaneret, Absalon cum exercitu veniens urbem regiam obsideret, eamque ferro et igne vastaret.

Quare egressus cum suis qui in officio manebant, conscendit montem Olivarum, flens, nudis pedibus, et operto capite.

131. *Admirable paciencia de David.*

Fugienti occurrit vir quidam è genere Saulis, nomine Semei, qui cœpit Davidem ejusque comites maledictis et lapidibus appetere.

Quod ille indignè ferentes volebant ulcisci injuriam, et maledici conviciatoris caput amputare.

At David eos cohibuit: Sinite, inquit, istum mihi maledicere. Forsitan Deus, his quæ patior malis placatus, meî miserebitur, et rem afflictam restituet.

Incredibilem regis patientiam admirati comites, dicto ægrè paruerunt.

132. *Congrega David un ejército contra Absalon.*

Absalon, profecto patre, ingressus est Hierosolymam, ibique ali quandiu moratus est. Quæ res saluti fuit Davidi; nam interim David collegit copias, seque ad bellum comparavit.

Jam aderat Absalon cum exercitu, et prælium mox erat committendum. Suaserunt regi sui comites ut ne [47] interesset certamini.

Quapropter David Joabum suis copiis præfecit, seque in urbem vicinam contulit.

Abiens autem præcepit Joabo cæterisque ducibus ut Absaloni parcerent, sibique filium incolumem servarent.

133. *Es vencido Absalon, y queda suspendido de un árbol por los cabellos.*

Acriter pugnatum est utrinque; sed, Deo favente, victoria penès Davidem fuit.

Terga verterunt Absalonis milites, è quibus viginti duo millia ceciderunt.

47 *Ut ne.* Véase la nota del párrafo 76.

Absalon fugiens mulo insidebat; erat autem promisso et denso capillo. Dum præcipiti cursu fertur subter densam quercum, coma ejus implicata est ramis, et ipse suspensus adhæsit, mulo interim prætereunte, et cursum pergente.

134. *Muerte de Absalon.*

Vidit quidam pendentem Absalonem, nec ausus est illi manus violentas inferre, sed nuntiavit Joabo, qui eum increpans: Debueras, inquit, juvenem impium confodere.

Atqui, respondit ille, me præsente, rex præcepit tibi ut filio suo parceres.

Ego verò non parcam, ait Joabus, et statim sumpsit tres lanceas, quas in pectus Absalonis defixit.

Quum Absalon adhuc palpitaret hærens in quercu, armigeri Joabi repetitis ictibus confossum interemerunt.

135. *Llora David la muerte de su rebelde hijo.*

Stabat interea David ad portam urbis, exspectans eventum pugnæ, et maximè de filii salute sollicitus.

Quum illi nuntiatum esset profligatos hostes et interfectum esse Absalonem, non modò non lætatus est de victoriâ [48] quam reportaverat, sed maximum quoquè dolorem cepit ex morte filii.

Inambulabat in cœnaculo mœrens, et in has voces identidem erumpens: Fili mi Absalon, Absalon fili mi! utinam pro te moriar, Absalon fili mi, fili mi Absalon!

136. *Muere David.*

Multa deinceps bella David prosperè gessit contra Philistæos, rebusque foris et domi compositis, reliquum vitæ tempus in florenti pace exegit.

Quum esset extremâ senectute et infirmâ valetudine, Salomonem hæredem regni constituit.

Is à summo sacerdote unctus, vivo adhuc patre, rex appellatus est.

David, postquam filio dedisset præcepta regno administrando utilissima, diem supremum obiit.

48 *De victoria lætatus est.* El uso es poner el acusativo sin preposicion despues del verbo *lætari*.

137. *Pide Salomon á Dios la sabiduría.*

Diligebat Deus Salomonem. Ei per quietem adstare visus est, deditque optionem eligendi quidquid vellet.

Salomon non aliud sibi dari poposcit quàm sapientiam, reliqua omnia parvi æstimans.

Quæ res ita Deo placuit, ut illi plus tribuerit quàm rogatus fuerat; nam Salomoni eximiam sapientiam impertivit, et insuper divitias et gloriam, quas non petierat, addidit.

138. *Arduo negocio sometido al tribunal de Salomon.*

Non multò pòst Salomon concessæ sibi á Deo sapientiæ specimem edidit.

Duæ mulieres in eâdem domo habitabant. Utraque eodem tempore peperit puerum. Unus ex his puerulis post diem tertium nocte mortuus est. Mater subripuit puerum alterius mulieris dormientis, et hujus loco filium suum mortuum supposuit.

Ortâ inter duas mulieres gravi altercatione, res ad Salomonem delata est.

139. *Juicio de Salomon.*

Difficilis erat atque perobscura [49] quæstio, quum nullus esset testis.

Rex autem, ut exploraret latentem veritatem: Dividatur, inquit, puer de quo controversia est, et pars una uni mulieri, altera alteri detur.

Judicio assensit falsa mater; altera verò exclamavit: Ne, quæso, ne occidatur puer, o rex; malo ista totum habeat.

Tum rex ait: Res est manifiesta; hæc verè est mater pueri. Et huic illum adjudicavit.

Admirati sunt omnes singularem regis prudentiam.

140. *Edifica Salomon el templo de Jerusalem. — Año del mundo* 3000.

Salomon templum immensi operis Hierosolymæ ædificavit. Omnia auro, argento gemmisque in eo fulgebant. In hoc templo arca fœderis collocata est.

49 La preposicion *per* puesta delante de un gran número de adjetivos, les da fuerza de superlativos, como *pergrandis*, *perhorridus*, *perridiculus perarduus*, *pergracilis*, *pernecessarius*.

Vicini reges ob tantam sapientiæ famam cum Salomone amicitiam junxerunt, fœdusque fecerunt.

Regina Saba, ejus visendi cupida, finibus regni sui excessit, venitque Hierosolymam.

Regnabat Salomon in summâ pace [50], opibus et deliciis affluens.

141. *Entrégase Salomon en su vejez á la corrupcion y á la idolatría.*

Postea Salomon voluptati se dedit. Nihil porrò tam inimicum est virtuti quàm voluptas; itaque amisit sapientiam.

Mulieres exteræ, quas adamavit, eum jam senem ad ritus gentiles [51] pertraxerunt.

Quibus rebus offensus, Deus pœnam illi denutiavit, scilicet fore ut regnum majore ex parte filio ejus adimeretur et servo traderetur; atque id ita factum est.

142. *Irrita Roboam, hijo de Salomon, al pueblo.*

Salomoni Roboamus filius sucessit. Is imperium culpâ paternâ jam nutans stultitiâ suâ evertit.

Salomon populo vectigal gravissimum imposuerat. Quod onus quum populus tolerare non posset, illud poposcit imminui.

Regem monebant senes ut populo satisfaceret, juvenes verò dissuadebant.

Roboamus, æqualium consilio usus, populo acerbè respondit, ejusque postulationem rejecit.

143. *Abandonan á Roboam diez tribus, y eligen nuevo rey.*

Exorta est seditio. Decem tribus à Roboamo defecerunt, regemque sibi creaverunt Jeroboamum è tribu Ephraimi. Duæ tantùm tribus in fide manserunt, scilicet tribus Judæ, et tribus Benjamini.

50 *Regnabat Salomon in summâ pace* es una frase análoga á las de: *dormire in pace*, *requiescere in pace*, etc., que abundan en el estilo cristiano. *Quietè ac tranquillè regnabat Salomon*, sería mucho mas conforme al genio de la lengua latina.

51 *Gentilis* (de la misma familia, de la misma raza, de la misma nacion) ha significado en las edades de decadencia las naciones bárbaras ó que no estaban sojuzgadas á las leyes de los romanos. La Sagrada Escritura llama por imitacion *gentiles* á los pueblos que no siguen ni la religion judáica, ni la cristiana.

Sic duo ex uno regna facta sunt, alterum Judæ, alterum Israelis.

Jeroboamus, ut populum suum à consuetudine eundi Hierosolymam abduceret, propriam religionem eis instituit, et falsos deos proposuit colendos.

144. *Corta duracion del reino de Israel. — Su fin.*

Non diu stetit regnum Israeliticum, quia omnes ad unum reges fuerunt impii.

Ad eos Deus sæpe misit prophetas, qui eos admonerent, et ad verum cultum revocarent. Sed illi prophetarum monitis non paruerunt; imò eos contumeliis, pœnis, morte affecerunt.

Quare iratus Deus illos in potestatem hostium tradidit. Devicti sunt à rege Assyriorum, qui decem tribus captivas fecit, et in Assyriam deportavit.

145. *Historia de Tobias.*

Inter captivos qui deducti sunt in Assyriam, fuit Tobias.

Is, ab incunte ætate, legem divinam sedulò observabat.

Quum esset puer, nihil tamen puerile gessit.

Denique, dum irent omnes ad vitulos aureos quos Jeroboamus, rex Israelis, fecerat, et populo adorandos proposuerat, hic solus fugiebat societatem omnium; pergebat autem ad templum Domini, et ibi adorabat Dominum.

146. *Conserva Tobias su piedad en medio de los gentiles.*

Tobias adultus uxorem duxit, habuitque filium, quem ab infantiâ docuit timere Deum, et ab omni peccato abstinere.

Quum in captivitatem abductus esset, eamdem in Deum pietatem semper retinuit, omnia bona quæ habere poterat, quotidie exilii sui comitibus impertiebat, eosque monitis salutaribus ad colendum Deum hortabatur.

Gabelo cuidam egenti decem talenta, quibus à rege donatus fuerat, perhumaniter [52] commodavit.

147. *Entierra Tobias los muertos con peligro de su vida.*

Postea exortus est novus Assyriorum rex, Israelitis infensus, qui eos vexabat, necabat, et sepeliri vetabat.

52 *Perhumaniter* por *valdè humaniter*.

In hac calamitate Tobias fratres [53] invisebat, miseros consolans, egenos opibus suis juvans, et mortuos sepeliens.

Ea res nuntiata est regi, qui jussit Tobiam interfici, et bonis omnibus spoliari.

At Tobias cum uxore et filio delituit, sicque regis iram effugit.

148. *Persevera Tobías en esta santa práctica, á pesar de sus amigos.*

Die quodam festo, quum domi lautum convivium paravisset, misit filium ut aliquot è sociis ad prandium invitaret.

Reversus filius nuntiavit patri hominem Israelitam jacere in foro mortuum.

Exiliens statim Tobias cadaver occultè portavit domum, ut illud noctu sepeliret.

Sui illum amici ab hoc officio dehortabantur; at Tobias, magis Deum quàm regem timens, id facere non destitit.

149. *Quédase ciego Tobías, y sufre resignado esta afliccion.*

Tobias, in præstando solito officio defatigatus, incubuit parieti et obdormivit. Fortè ex nido hirundinum stercora [54] calida inciderunt in oculos dormientis, unde cæcus factus est.

Quam calamitatem ideo permisit Deus illi evenire, ut esset illustre patientiæ exemplum posteris propositum ad imitandum.

Nam Tobias adeò patienter tulit cæcitatem, ut neque illum querentem quisquam audierit, neque ille eò minùs constanter Deum coluerit.

150. *Mira Tobías con horror el robo de ganados.*

Uxor Tobiæ in texendâ telâ comparabat ea quæ ad victum erant necessaria. Quâdam die domum attulit hædum, quem pretio laboris cuotidiani emerat.

53 *Fratres* significa algunas veces conciudadanos, hombres que obedecen las mismas leyes y siguen la misma religion. Este sentido no es nuevo. Horacio dice: *Eheu! cicatricum et sceleris pudet fratrumque*; es decir, *popularium, civium romanorum.* La caridad cristiana da á la palabra *fratres* toda su fuerza y toda su belleza.

54 *Stercus* no se halla usado mas que en singular por los buenos autores.

Hædum balantem audivit Tobias; et, veritus ne furto ablatus esset, dixit uxori: Vide ne iste clam alicui ereptus sit; redde illum domino suo; nefas enim est nobis ex rapto vivere. Adeò vir ille justus ad omni improbitate abhorrebat!

151. *Consejos de Tobías á su hijo.*

Tobias mórtem sibi imminere putans, vocavit filium suum. Audi, inquit, fili mi, verba patris amantissimi, eaque penitùs memoriæ tuæ infixa hæreant, ut vitam sapienter instituas.

«Quotidie Deum cogita, et cave ne unquam in eum pecces, ejusque præcepta negligas.

»Miserere pauperum, ut Deus tuî misereatur: quantum poteris, esto beneficus et liberalis. Si tibi magnæ opes suppetant, multùm tribue; si parvæ, parum, sed libenter; quoniam beneficentia hominem ab æternâ morte liberat.

»Superbiam fuge, neque eam in animum aut in sermonem sinas obrepere.

152. *Continúan los consejos de Tobías á su hijo.*

»Quod tibi nolis fieri, aliis ne facito, fili mi. Si quis tibi opus fecerit, statim ei mercedem persolve. Consilium semper à viro sapiente exquire. Ne societatem cum improbis jungito.

»Quum ex hac vitâ decessero, sepeli corpus meum. Matrem tuam colito, memor malorum quæ passa est, dum te in utero gestaret; et, quum ipsa supremum diem obierit, eam ponito mecum in eodem sepulchro.

153. *Manifiesta Tobías á su hijo que ha prestado diez talentos de plata á Gabelo.*

»Hoc etiam te moneo, fili mi, me commodavisse decem argenti talenta Gabelo, qui nunc commoratur Rage, in urbe Medorum.»

Tum adolescens patri, Omnia, inquit, ut præcipis mihi, faciam, pater. Quomodo autem illam pecuniam à Gabelo recipiam ignoro; nam neque ille me, neque ego illum novi, nec quâ viâ eatur in Mediam scio.

Cui Tobias pater, chyrographum, ait, Gabeli habeo; quod quum ille exhibueris, statim reddet pecuniam; sed quære tibi hominem fidelem, qui tibi sit dux viæ.

154. *Ofrécese el ángel Rafael por compañero de Tobías.*

Egressus Tobias invenit juvenem stantem et accinctum ad iter faciendum; quem ignorans angelum Dei esse, salutavit.

Unde es, o bone juvenis?—Sum, inquit ille, unus ex Israelitis.

Nostine, ait Tobias, viam quæ ducit in Mediam?—Novi, inquit, et sæpe usus sum hospitio Gabeli, qui ibi habitat.

Tobias ea lætus renuntiat patri, qui arcessitum juvenem interrogavit, an vellet esse filii comes et itineris socius, promissâ mercede. Id se velle respondit juvenis.

Itaque Tobias valedixit parentibus, simulque ambo dederunt se in viam, et canis secutus est eos.

155. *Lágrimas de la madre de Tobías.*

Profecto Tobiâ, cœpit mater ejus flere et acerbè queri quòd vir suus dimisisset filium.

« Cur nos orbasti solatio senectutis nostræ? melius fuit carere istâ pecuniâ ad quam recuperandam filius missus est; satìs erat nobis quòd filii conspectu frui liceret.

Cui maritus, Noli flere, inquit, incolumis filius perveniet in Mediam, incolumis ad nos redibit. Deus mittet angelum, qui ei prosperum iter præstet.

Quibus verbis sedata mulier tacuit.

156. *Es Tobías libertado de un pez monstruoso.*

Interea Tobias et angelus pervenere ad flumen Tigrim; et quum adolescens accessisset ad abluendos pedes, ecce piscis ingens exsiliit, quasi illum devoraturus.

Ad cujus adspectum Tobias perterritus exclamavit, Domine, invadit me. Cui angelus: Apprehende illum, et trahe ad te.

Piscis attractus in ripam aliquandiu palpitavit, et exspiravit.

Tunc jussit angelus fel piscis seponi, utpote medicamentum salutare; deinde partem carnis coxerunt comedendam in viâ.

157. *Llega Tobías á la ciudad de Ecbatana.*

Ut appropinquaverunt urbi, quæ vocabatur *Ecbatana*, dixit Tobias angelo: Apud quem vis ut diversemur in hac urbe?

Cui Angelus: Est hic, inquit, vir quidam cognatus tuus, nomine Raguel. Is nos hospitio excipiet. Habet filiam unicam, quam te oportet uxorem ducere. Pete eam à patre, nec dubito quin postulationi tuæ libenter annuat; Deus enim has tibi destinat nuptias, et omnes Raguelis facultates jure hæreditario ad te pervenient.

158. *Es recibido Tobías por su pariente Raguel.*

Eos lætus excepit Raguel; qui, conspicatus Tobiam, dixit uxori suæ: Quàm similis est hic adolescens cognato meo!

Tum ad hospites conversus: Unde estis, boni juvenes? Qui responderunt: Sumus ex Israelitis urbis Ninives. — Nostisne Tobiam? — Novimus. Tunc Raguel cœpit Tobiam laudibus efferre. Quem interpellans angelus: Tobias, inquit, de quo loqueris, pater istius est. Raguel, complexus adolescentem, ait: Tibi gratulor, fili mi, quia boni et optimi viri filius es. Uxor Raguelis et filia collacrymaverunt.

159. *Casamiento de Tobías.*

Deinde Raguel jussit apparari convivium. Quumque hospites hortaretur ut discumberent; Neque ego comedam inquit Tobias, neque bibam, nisi priùs filiam tuam mihi desponderis.

Cui Raguel: Deus profectò meas preces audivit, vosque huc adduxit ut ista cognato suo nuberet. Quapropter noli dubitare quin eam tibi hodie daturus sim uxorem.

Acceptâ chartâ, fecerunt conscriptionem conjugii, et, laudantes Deum, mensæ accubuerunt.

160. *Viene Gabelo á las bodas de Tobías.*

Raguel Tobiam obtestatus est ut apud se [55] quindecim dies moraretur. Cujus voluntati obtemperans, Tobias rogavit angelum ut solus apiret Gabelum, paternamque pecuniam hac illo reciperet.

Itaque angelus, sumptis camelis, properavit Ragem, suum Gabelo chyrographum reddidit, pecuniam illi creditam recepit, cumque ad nuptias Tobiæ adduxit.

161. *Inquietud de Tobías y de su esposa.*

Interea Tobias pater erat animo anxio et sollicito, quòd suus filius in redeundo tardior esset: «Quare tandiu moratur filius? inquie-

55 *Apud se* es menos usado que *domi*.

bat mœrens. Forsitan Gabelus mortuus est, et nemo [56] est qui illi reddat istam pecuniam. Illum abesse à nobis vehementer doleo.» Cœperuntque ipse et uxor ejus flere.

Præsertim luctus matris nullo solatio levari poterat. Hæc quotidie domo egressa circuibat vias omnes, quà filium suum rediturum esse sperabat, ut procul videret eum si fieri posset, venientem.

162. *Vuelve Tobias á casa de su padre.*

Consumptis quindecim diebus, Raguel voluit Tobiam retinere. Sed Tobias, Oro te, ait, dimitte me quamprimum; scis enim parentes meos nunc animo angi meâ causâ.

Tandem à socero dimissus cum uxore ad patrem redibat.

In itinere dixit illi angelus: Statim ut domum ingressus fueris, Deum adora; et, complexus patrem, lini [57] oculos ejus felle piscis, quod servasti; tunc sanabuntur oculi ejus, teque et cœlum pater lætus conspiciet.

163. *Llegada de Tobias.*

Dum Tobias urbi appropinquaret, mater ejus, ut solebat, in vertice montis sedebat, unde prospicere in longinquum posset. Vidit illum procul venientem, currensque nuntiavit viro suo.

Tunc canis, qui simul fuerat in viâ, præcucurrit, et cuasi nuntius adveniens caudâ suâ hero adulabatur.

Confestim pater consurgens cœpit effendens pedibus currere, et, datâ manu servo, processit obviàm filio. Osculatus est eum, cœperuntque ambo præ gaudio lacrymas fundere.

164. *Recobra su padre la vista.*

Quum ambo Deum adoravissent, eique gratias egissent, consederunt. Deinde Tobias oculos patris linivit [58] felle piscis, et post dimidiam ferme horam cœpit albugo, quasi membrana ovi, ex oculis ejus egredi. Quam apprehensam filius extraxit, atque ille statim visum recepit.

Tunc læti omnes collaudabant Deum. Propinqui quoque Tobiæ convenerunt, gratulantes ei omnia bona quæ Deus illi impertierat.

56 En lugar de *et nemo*, y nadie, ponian los latinos de ordinario *nec* ó *neque quisquam*.

57 Véase la nota 2 del párrafo 11.

58 Véase la nota 2 del párrafo 11.

165. *Descúbrese á Tobías el ángel Rafael.*

Deinde Tobias narravit parentibus beneficia quæ acceperat ab eo itineris duce, quem hominem esse putabat. Quare obtulerunt illi dimidiam partem pecuniæ quam attulerant.

Tunc illi dixit eis: Ego sum Raphael angelus, unus ex septem qui adstamus ante Deum. Misit me Dominus ut sanarem te. Nunc tempus est ut ad eum revertar à quo missus sum. Vos autem debitas Deo gratias reprendite.

Hæc locutus, ad illorum conspectu ablatus est, nec ultrà comparuit,

166. *Dichosa muerte de Tobías.—Su posteridad.*

Tobias, postquam visum recepisset, vixit annis duobus et quadraginta. Instante autem morte, vocatum filium monuit ut semper in timore Domini perseveraret. Tum placidà morte quievit.

Mortuo patre, Tobias filius perrexit ad socerum suum Raguelem, illumque omni officio coluit.

Denique, quum attigisset novem et nonaginta annos, ipse vità excessit. Omnes autem ejus liberi et nepotes domesticam virtutem [59] sunt imitati, Deoque pariter et hominibus grati et accepti fuerunt.

167. *Reyes de Judá: Abias y Asá.*

Hactenus ea [60] quæ ad regnum israeliticum spectabant breviter attigi; nunc revertor ad reges Judæ, à quibus digressus sum.

Roboamo patri successit Abias, qui tres tantùm annos regnavit, soliumque reliquit Asæ, filio.

Asa Deo gratus ob pietatem fuit; quippe aras falsorum numinum evertit; et impios regno suo expulit.

Quam ob causam Deus illi pacem satis diuturnam concessit. Postea tamen Asa bellum gessit cum Israelitis, de quibus victis amplam prædam retulit.

168. *Josafát, Rey de Judá.*

Mortuo patre, Josaphatus regnare cœpit, fuitque religiosus Dei cultor. Quapropter Deus illum glorià et divitiis auxit.

59 *Virtus domestica*, virtud doméstica, inherente á la familia, sacada del seno de la familia.

60 Suple *facta*.

Josaphatus tamen cum Achabo, Israelitarum rege impio, amicitiam junxit. Quæ res illi magno damno fuit; nam, conjunctis copiis, pugnârunt adversùs regem Syriæ. In prælio Achabus interfectus est; parumque abfuit quin periret et ipse Josaphatus, nec sinè auxilio divino incolumis evasit. Inde documentum capere debemus quàm periculosa sit improborum societas.

169. *Joran y Ochosias, reyes de Judá.*

Josaphato patri successit Joramus, qui à paternâ pietate degeneravit. Namque Athaliam, impii Achabi filiam, duxit uxorem, fuitque socero quàm patri similior. Gravi morbo, quem Deus immiserat, consumptus est.

Post hunc, Ochosias, filius, regnum adeptus est, nec diu tenuit; nam, pessimæ matris exemplo ad vitia impulsus, miserè interiit.

170. *Muerte de Athalia. — Reinado de Joás.*

Mortuo Ochosiâ, mater ejus stirpem regiam interemit, et regnum occupavit. Unus tantùm Ochosiæ filius, nomine Joas, promiscuæ cædi ereptus fuit, et in templo cum nutrice occultatus.

Hunc Joiadas pontifex in templo clanculum aluit, atque educavit. Post annos ferè octo, puerum regium centurionibus et plebi coram produxit, occisâque Athaliâ, in regnum restituit.

171. *Corrupcion de Joás. — Sus crímenes. — Su muerte.*

Joas quandiu consiliis Joiadæ usus est, observantissimus fuit divini cultûs; magnis sumptibus templum exornavit.

Sed, Joiadâ mortuo, aulicorum adulatione corruptus, ad vitia deflexit, veramque religionem deseruit.

Immemor beneficii à Joiadâ accepti, filium illius sapienter admonentem lapidibus obrui jussit.

Ipse, paulò pòst à suis in lectulo necatus, sepulturâ regiâ caruit.

172. *Amasias, Rey de Judá.*

Joæ morte regnum ad Amasiam filium devenit. Is Idumæam adortus est cum ingentibus copiis, quas magno sumptu collegerat. Sed à prophetâ admonitus est ut magis divino auxilio, quàm militum multitudini, confideret.

Itaque, dimissâ militum parte, parvâ manu cum hoste conflixit, et insignem victoriam reportavit.

Deinde, elatus victoriâ, Deum deseruit, et à rege Samariæ, quem temerè lacessiverat, amisso exercitu, captus et.

173. *Osias y Joathan, reyes de Judá.*

Osias Amasiæ filius et sucessor fuit. Philistæos, Deo favente, domuit, Arabes devicit.

Postea animum ejus invasit superbia. Munus sacerdotum sibi arrogavit. Thus Deo ausus est offerre, quod solis sacerdotibus fas erat [61]; quumque, à pontifice admonitus, non paruisset, turpi morbo, quem *lepram* vocant, correptus est.

Quare procurationem regni coactus est relinquere Joathæ [62] filio, qui rectè imperium administravit.

174. *Achas, rey de Judá.*

Achas, Joathæ filius, in Deum impius fuit, numina gentium coluit. Regis exemplum brevi secuta est civitas ipsa.

Quam ob causam Deo invisus magnam cladem ab Samariæ et Syriæ regibus accepit; nec illum calamitas ad meliorem mentem revocavit.

Non eum puduit ab Assyriis auxilium petere, aurumque et argentum à templo ablatum illorum regi dono [63] mittere. Venit rex Assyriorum, et primùm quidem hostes [64] ejus qui se advocaverat profligavit, sed deinde ipsius etiam regnum vastavit.

175. *Reinado de Ezequias. — Su piedad.*

Ezechias singulari pietate floruit. Statim ut regno potus est, populum et sacerdotes cohortatus, urbem à paternis superstitionibus expiavit, templum ornavit, cæremonias quæ jampridem omissæ fuerant, restituit.

Nec minor ei fuit in bello gerendo virtus, quàm in religione tuendâ pietas. Philistæos multis prælis contudit, Judæosque à tributis, quæ pendebant Assyriis, liberavit.

176. *Su enfermedad y su cura milagrosa.*

Iisdem temporibus Ezechias in gravem morbum incidit. Quumque

61 Suple *facere*. *Quod*, lo que, cosa que.
62 Suple *suo*.
63 *Dono* (abl.) en presente.
64 *Ejus*, de él.

Isaias propheta illi denuntiasset vitæ finem adesse, Deum rex cum lacrymis oravit ne sibi vitam adimeret.

Precibus ejus et lacrymis motus Deus, quindecim annorum usuram illi concesit, atque ad faciendam [65] fidem, solis umbra, rege ita [66] postulante, per decem lineas [67] regressa est in ejus horologio [68].

Tertio pòst die, Ezechias sanatus templum adiit.

177. *Asedia el rey de Asiria á Jerusalem, libertándola Dios por medio de un milagro.*

Rex Assyriorum bellum Ezechiæ intulit. Hierosolymam obsidione cinxit, minitans urbis exscidium, nisi cives maturâ deditione sibi consulerent.

In hoc statu rerum Ezechiam confirmavit Isaias, pollicitus divinum auxilium non defuturum, brevìque obsidionem solutum iri.

Et verò, nocte sequenti, angelus Dei centum octoginta quinque hostium millia letho dedit. Rex Assyriorum trepidus in patriam fugit, ibique paulò pòst à filiis occissus est.

178. *Muerte del rey Ezequías.*

Ezechias, tanto periculo liberatus, in summâ pace reliquum vitæ tempus egit. Omnia illi feliciter cedebant, quia Deus illi favebat. Ipse, tot beneficiis divinis obligatus, in eâdem constanter pietate mansit; omnem suam spem in Dei auxilio posuit; iis rebus quæ Deo placebant, animum semper intendit.

65 *Ad faciendam fidem, suple promissi.* La traduccion de Isaías (cap. 58, v. 7) dice: «Y de que el Señor cumplirá lo que ha dicho, se te dará por el mismo Señor esta señal: Hé aquí que voy á hacer que la sombra del sol retroceda las diez líneas que ha bajado en el reloj de Achâz. Y retrocedió el sol por las diez líneas que habia bajado.» (Trad. del Ilmo. AMAT.)

66 *Rege ita postulante.* Estas palabras no tienen un sentido claro: parecen indicar que Ezequías, desconfiando de la misericordia divina, exigió un milagro para creer en los quince años de vida que le concedia el Señor. Nada hay en Isaías parecido á esto.

67 *Per decem lineas*, y mejor *decem lineis.* La Vulgata dice: *Et reversus est sol decem lineis per gradus quos descenderat.* Este pasaje es mas comprensible y mas latino que el de Lhomond. Aquí *linea* es sinónimo de *gradus.* Sobre un cuadrante solar estan figurados los grados por líneas.

68 *Horologio ejus*, suple solavi. Isaías dice que este era el cuadrante de Achaz: *in horologio Achaz in sole.* Los griegos llamaban *sirothericos* los cuadrantes solares y *clepsidras* á los relojes de agua. Tambien se contaban las horas con la arena fina encerrada en una ampolla, de donde vino el nombre de reloj de arena.

Regnavit annos novem et viginti, quibus exactis, placidâ morte decessit. Populus eum luxit, et corpus ejus inter sepulcra avorum regum in loco editiore collocatum est.

179. *Crímenes de Manasés.—Su prision.—Su penitencia.*

Ezechiæ successit Manasses, patris religiosi filius impius. Is, relicto veri Dei cultu, falsa numina adoravit.

Ad impietatem accessit crudelitas. Quum enim Isaias propheta iram divinam illi denuntiasset, rex, furore percitus, prophetam serrâ ligneâ secari jussit.

Necem vatis sui brevì ultus est Deus; Manasses ab Assyriis victus captusque est, et in vincula conjectus.

Ibi, calamitate edoctus, scelerum veniam suppliciter à Deo petiit et impetravit. In regnum restitutus, Deum piè coluit.

180. *El rey Amon.—Su pronta muerte.—Piedad de Jonás.*

Amon, Manassis filius, paternam impietatem imitatus est, non verò pœnitentiam.

Non ultra biennium regnavit, et à suis domi interfectus est.

Cui successit Josias, vir sanctus et religiosus. Is, à puero virtuti deditus, populum ad legitimum cultum revocavit.

At illum deinde inconsiderata fiducia perdidit: nam contra Ægyptios exercitum duxit; admonitusque à Deo ut prælio abstineret, nihilominus acie dimicavit. Itaque, re male gestâ, vulnus accepit, et paucis pòst diebus mortuus est.

181. *Jechonías y sus dos hermanos, reyes de Judá.*

Josias moriens tres reliquit filios. Ex his [69] Joachas tres dumtaxat menses regnavit. Bello captus est ab Assyriorum rege.

In Joachæ locum suffectus est Jechonias, quo regnante, Nabuchodonosor, Babyloniorum rex, Hierosolymam expugnavit, cives Babylonem transtulit, relictâ vili plebeculâ, cui præfecit Sedeciam, postremum regem.

Quum Sedecias rebellasset, Nabuchodonosor reversus urbem diruit, templum incendit, Sedeciam, effossis priùs oculis, in carcerem misit.

182. *Daniel y sus compañeros educados en el palacio de Nabucodonosor.*

Inter captivos qui Babylonem adducti fuerant, delecti sunt pueri eximiâ formâ, Daniel, Ananias, Misael et Azarias. Hi cum aliis mul-

69 Suple *unus*.

tis in ipsâ regiâ educabantur, ut postea ad mensam regis consisterent, eique accumbenti ministrarent.

Nabuchodonosor jusserat eos, quò meliore vultu essent, iisdem cibis ali, quibus ipse vescebatur. At generosi illi pueri, cibis profanis, quia id lex vetebat, uti noluerunt, sed solis leguminibus. Attamen robustiores ac nitentiores facti sunt cæteris pueris quibuscum nutriebantur.

183. *Daniel y sus compañeros en el horno.*

Nabuchodonosor sibi posuit statuam auream, quam ab omnibus jussit adorari, propositâ mortis pœnâ iis qui parere nollent.

Ananias, Misael et Azarias mori maluerunt quàm honorem soli Deo debitum statuæ deferre.

Iratus rex eos, vestitos et catenis vinctos, conjecit in fornacem ardentem. Sed flamma nihil illis nocuit; nec corpus adussit ignis, nec vestes quidem mutavit: at solvit tantummodo vincula quibus constringebantur [70], ita ut illæsi in mediâ fornace ambularent.

184. *Daniel en el lago de los leones.*

Daniel apud regem gratiâ plurimùm valebat ob singularem prudentiam; quapropter invisus erat aulicis, qui ei insidias parabant. Suaserunt regi ut edicto vetaret quemquam coli, nisi se, per dies triginta.

Non paruit Daniel edicto impio; sed quotidie Deum precabatur utì [71] facere antè consueverat.

Explorantes eum aulici accusaverunt; rexque coactus est hominem sibi carum objicere leonibus; nam ita lex ferebat.

Sed feræ Danieli pepercerunt; rexque miraculo commotus, ipsos accusatores leonibus devorandos tradidit.

185. *Historia de Esther, esposa del rey Asuero.*

Mardochæus, unus ex captivis, Judæos è magno periculo liberavit. Filiam fratris sui utroque parente orbam nomine Estherem, educaverat.

Hanc rex Assuerus duxerat uxorem, et valdè diligebat.

Erat tunc aulicus quidam apud regem gratiosus, nomine Aman.

70 En lugar de *quibus constringebantur* dícese *quibus erant constricti*, con los cuales estaban encadenados.

71 *Utì*, como *facere* (suple *id.*, lo

qui, favore regio superbiens, adorari se volebat. Quod facere renuens Mardochæus, grave in se odium Amanis accenderat.

Aman, ulciscendi inimici causâ, universam Judæorum gentem perdere statuit, edictumque eâ de re ab Assuero impetravit.

186. *Da Mardocheo á conocer á Esther el peligro de su pueblo.*

Ubi ad aures Mardochæi crudele edictum pervenit, statim, conscissis vestibus, saccum [72] induit, conspersusque cinere perrexit ad regiam, et illam implevit questibus.

Esther, lamentantis voce auditâ, quæsivit quid istud rei [73] esset. Ut cognovit Mardochæum Judæosque omnes esse neci destinatos, invocato Deo, adiit regem, suæ gentis ruinam deprecatura. Non tamen continuò rem aperuit regi, sed eum ad convivium invitavit.

187. *Desgracia de Aman y su afrentosa muerte.*

Assuerus ad convivium cum Amane venit; et, quum hilari esset animo, Esther ad illius pedes se abjecit suplex.

Cui rex promisit nihil ei se negaturum, etiamsi dimidiam regni sui partem peteret.

Tum Esther: Meam, o rex, meæque gentis salutem precor; nam crudelis iste Aman nos devovit neci.

Quâ re permotus est Assuerus, audiensque crucem ab eo paratam esse Mardochæo, Amanem ipsum eidem cruci jussit affigi.

188. *Enseñoréase Ciro, rey de Persia, de Babilonia, y concede la libertad á los judíos. Año del mundo* 3470.

Captivitas Babylonica per septuaginta annos duravit, idque prædixerat Deus. Postquam illud tempus effluxit, Cyrus, Persarum rex, devicto Babyloniorum rege, Judæis fecit potestatem in patriam remigrandi, templumque restituendi; sacra etiam vasa, quæ Nabuchodonosor abstulerat, reddi jussit.

Itaque Judæi, duce Zorobabele, Hierosolymam regressi sunt, et prima novi templi fundamenta jecerunt. Sed ædificatio diù intermissa fuit, quia illam impediebant vicinæ gentes.

72 *Saccus* designa aquí un vestido de tela grosera de que se cubrian particularmente los anacoretas de la Thebaida. *Saccus orationis signum atque jejunii est*, dice San Gerónimo (*Epist.* 44).

73 *Istud rei* por *ista res*.

189. *Estado de los judíos despues de su vuelta del cautiverio.*

Reversi in patriam Judæi, composito urbis statu, non jam reges habuere, sed imperium penes pontifices fuit. Tributa tamen pensitârunt primùm Persis, deinde Græcis, post devictum ab Alexandro Darium.

Nec deinceps ab avitâ religione unquam desciverunt, quamvis eâ de causâ à pluribus regibus vexati fuerint, ac præsertim ab Antiocho, rege Syriæ: quæm pars historiæ Judaicæ nunc narranda venit.

190. *Historia de los Macabeos.*

Antiochus, Syriæ rex, sacram Judæorum legem evertere aggressus est. Edixit ut omnes, relictis majorum suorum institutis, gentilium ritu viverent. Aras falsis diis per universam Judæam exstruxit; omnia templi Hierosolymitani ornamenta detraxit; libros sacros jussit comburi; reluctantes inauditis suppliciis affecit; urbem innumerâ cæde vastavit; ac, ne Judæi, tot malis oppressi, rebellarent, præsidium in arce collocavit.

191. *Constancia de Eleázaro.*

Ex Judæis multi patriam deseruerunt, declinandi periculi causâ; multi mortem oppetierunt potiùs quàm à lege divinâ discederent.

Insignis fuit Eleazari senis constantia. Is, aperto ore, compellebatur carnem suillam comedere, quâ Judæis lex interdicebat.

At vir fortissimus cibum vetitum respuebat indignans. Quamobrem quum ad supplicium duceretur, sui eum amici hortabantur ut aliam carnem, quam attulerant, comedendo, simularet se regi paruisse, sicque mortem vitaret.

192. *Muerte de Eleázaro.*

Eleazarus rem pravam suadentibus noluit assentiri. «Ætati nostræ, inquit, non convenit ista simulatio. Non committam ut periculosum exemplum adolescentibus relinquam. Multò satius est perire, quam, propter brevem vitæ usuram, turpitudinis notam meo nómini inurere. Si vestro obsequar consilio, hominum quidem suppliciis eripiar, sed iram divinam non effugiam.»

His dictis, mortem fortiter subiit, æternamque gloriam est consecutus.

193. *Martirio de una madre y de sus siete hijos.*

1 Præclarum Eleazari exemplum secuta est mulier quædam cum septem filiis.

Hi omnes simul comprehensi sunt et virgis cæsi, ut ad peccandum adigerentur; sed eos nulla vis potuit à lege divinâ abducere. Illorum natu maximus declaravit se suosque fratres paratos esse mori magis, quàm culpam committere.

Iratus rex ollas æneas succendi jussit. Tum ei qui locutus fuerat, linguam amputari, cutem capitis detrahi, summas manus ac pedes præcidi, et truncum corpus in ollâ torreri.

2 Aderant tristi spectaculo cæteris fratres cum matre, seque invicem hortabantur ad mortem fortiter tolerandam.

Tum comprehensus est secundus, et, post detractam capitis cutem cum capillis, interrogatus num vellet carnem oblatam edere, negavit se id facturum. Quapropter, præcisis membris, in ollam ardentem missus est.

Quum extremum spiritum ageret, ad regem conversus: Tu quidem, ait, hanc vitam nobis eripis, sed amissam nobis reddet Deus, pro cujus lege eam profundimus.

Post hunc, tertius similiter cruciatus est. Linguam postulanti protulit amputandam, manusque protendens, dixit: Hæc membra à Deo accepta nunc propter Deum contemno, quia spero fore ut ea recuperem.

3 Rex et alii circunstantes admirabantur animum adolescentis, qui acerbissimum dolorem pro nihilo ducebat.

Hoc exstincto, quartus eodem supplicio necatus est. Quum jam morti esset proximus, dixit: Nobis optabile est leto dari, quoniam mortem pro divinâ lege oppetitam immortalitas consequetur.

Quum quintus à carnificibus torqueretur, sic locutus est: Abuteris, o rex, potestate tuâ. Scilicet putas nos omnino derelictos esse à Deo, et omni ope destitutos, atque idcirco innumeris malis nos opprimis; sed mox ipse divinæ potentiæ vim experturus es.

4 Pari constantiâ sextus verbera et tormenta pertulit; quibus pæne confectus regem sic compellavit: Noli errare, et malis nostris gloriari. Nos propter peccata nostra hæc patimur; at brevi cum Deo in gratiam redibimus; tu verò superbiæ et crudelitatis istius pœnas dabis gravissimas.

Ex septem fratribus unus tantùm supererat, natu minimus. Quem Antiochus cœpit illicere ut legem desereret, affirmans eum divitem fore et beatum. Sed adolescens nec minis movebatur, nec promissis.

5 Quare matrem rex hortatus est ut filio suaderet imperata facere. Illa irridens crudelem tyrannum, sic filium allocuta est: Miserere, fili mi, miserere matris tuæ, quæ te utero gestavi [74], quæ te natum lacte

74 El autor ha puesto *gestavi* y *alui* en lugar de *gestavit* y *aluit*, como si hubiese dicho: *miserere mei, matris tuæ, quæ*..... etc.

alui. Noli à fraternâ virtute degenerare; noli timere carnificem istum. Deum unum time, Deum intuere, à quo mercedem accipies.

His verbis confirmatus, adolescens exclamavit: Non regi obsequor, sed legi. Tum conversus ad Antiochum: Tu quidem, o sceleste, Dei omnipotentis iram non effugies. Erit tempus quum, ab eo percussus et dolore victus, te hominem esse confiteberis. Nisi gens nostra in Deum peccavisset, nunquam in has miserias incidissemus. Sed mox Deus, meo fratrumque meorum sanguine placatus, genti nostræ reconciliabitur; et nos, post mortem patienter toleratam, æternâ vitâ donabit.

6. Tum Antiochus, indignè ferens se derisum esse, in adolescentulum crudeliùs etiam quàm in cæteros desæviit, et illum exquisito supplicio necavit.

Denique septem filiorum cædem matris nece cumulavit. Hæc mulier planè admirabilis, et sempiternâ memoriâ digna, postquam filios certantes et adspectu et verbis adjuverat, postquam morientes magno animo conspexerat, ipsa diram mortem subiit, suumque sanguinem cum filiorum sanguine commiscuit.

194. *Celo de Mathathias y de sus hijos.*

Erat tunc Hierosolymæ sacerdos, nomine Mathathias, cum quinque filiis, Judâ, Jonathâ, Simone, Eleazaro et Joanne. Hi, relictâ urbe, ne viderent mala quibus ea conflictabatur, secesserunt in solitudinem.

Eò confluxit multitudo hominum quibus cordi erant leges divinæ, brevìque ad speciem justi exercitûs crevit.

Tunc, duce Mathathiâ, statuerunt patriam armis liberare, et religionem tueri. Itaque aras passim falsis numinibus erectas everterunt, neglectumque veri Dei cultum restituerunt.

195. *Muere Mathathias. — Primeros hechos de Judas Macabeo.*

Interea Mathathias mortuus est, moriensque exercitui præfecit Judam filium, qui dictus est Machabæus.

Is bellum à patre susceptum strenuè persecutus est. Omnia optimi ducis munia egregiè implevit. Divino, quod invocaverat, auxilio fretus, castella expugnavit, urbes præsidiis munivit; Apollonium, unum ex præfectis Antiochi, vicit, et ipse suâ manu in acie interfecit, ejusque gladio, quem illi detraxerat, in prœliis deinceps suus est.

196. *Victoria de Judas Macabeo sobre Nicanor.*

Antiochus, ubi audivit victum fuisse Apollonium, irâ exarsit, man-

datum dedit Lysiæ, ut Judæam vastaret, gentemque universam deleret.

Lysias adversùs Judæos misit Nicanorem et Gorgiam, quibus dedit quadraginta peditum et septem equitum millia. Hi castra posuerunt non longè ab urbe Hierosolymâ.

Judas, cujus spes omnis in Deo posita erat, non dubitavit cum tribus hominum millibus prælium committere. Tam exiguâ manu copias regias prostravit, et ingenti prædâ potitus est.

197. *Lisias es vencido por Judas.*

Hæc clades nuntiata est Lysiæ, qui, existimans id culpâ imperatoris accidisse, statuit ipse exercitum ducere. Venit in Judæam cum sexaginta quinque hominum millibus.

Habebat Judas decem tantùm millia hominum, tamen adversùs Lysiam processit, et, invocato priùs divino auxilio, cum hoste conflixit.

Quinque hominum millia de exercitu Lysiæ cecidit, reliquos adeò perterruit, ut in fugam versi sint.

198. *Purifica Judas el templo que habia sido profanado por los infieles.*

Pulsis hostibus, Judas restituendo cultui divino animum intendit. Rediit victor in urbem Hierosolymam, quæ fœdam sui speciem præbebat.

Portæ templi exustæ erant, altare pollutum, virgulta in atriis, quasi in saltu, enata.

Judas omnia purgavit, portas refecit, novum altare erexit, cujus dedicatio, magnâ totius populi frequentiâ, clangentibus tubis, facta est; decretumque, ad memoriam rei sempiternam, quotannis diem solemnem celebratum iri.

199. *Muestras sensibles de la proteccion que Dios concede á Judas Macabeo.*

Concitatæ ob restitutum templum gentes vicinæ bellum Judæis intulerunt. Contra illas Judas Machabæus dimicavit. Eo in prælio Deus manifestum se præbuit Judæ adjutorem; nam inter pugnandum apparuerunt quinque viri equis et virtute insignes, quorum duo Judam medium habentes, incolumem servabant, in hostes verò tela et fulmina jaciebant; unde illi, oculis et mente turbati, ad viginti quinque millia interfecti sunt.

200. *Antioco es castigado por Dios.*

Antiochus, ut cognovit suos duces à Judâ Machabæo fuisse devictos, amens furore, in Judæam citato cursu contendit, exscidio gentis et urbis acceptam cladem ulturus.

At illum subitus viscerum dolor corripuit à Deo immissus. Quumque nihilominus cursum acceleraret, è curru graviter decidit. Casus gravis ægrum jam corpus valdè afflixit. Unde factum est ut membra corrupta scaterent vermibus, et fœtorem latè emitterent, exercitui et ægro ipsi intolerabilem.

201. *Muerte de Antioco.*

Antiochus, doloris acerbitate victus, tandem ad sanam mentem rediit: se mortalem esse agnovit; et, recordatus malorum quibus Judæos affecerat, apertè confessus est suorum scelerum pœnas luere. Promisit se Judæos florentes beatosque facturum.

Sed, quia ea omnia metus mortis ipsi extorquebat, non vera pœnitentia, divinam misericordiam non flexit rex impius et homicida, et, morbo in horas ingravescente, miserè interiit.

202. *Judas Macabeo vence segunda vez á Lisias.*

Antiocho successit filius, cui nomen *Eupator* fuit. Hic, paterni in Judæos odii hæres, contra eos misit Lysiam, qui jam semel victus à Judâ, hanc maculam cupiebat eluere.

Judas ad opem divinam confugit, utì facere solebat, oravitque Dominum ut angelum mitteret sui populi adjutorem.

Deinde, sumptis armis, obviàm hosti cum suis progressus est. Tunc ante aciem Judæorum visus est eques, veste candidâ, armis aureis indutus, hastam vibrans.

Quo prodigio confirmati Judæi, leonum more in hostes irruerunt, et undecim millia peditum, equites mille et sexcentos prostraverunt.

203. *Viene el rey Eupator á Judea con un temible ejército.*

Rex ipse Eupator, ad opprimendum Judam Machabæum, omnes regni sui vires collegit. Itaque cum centum millibus peditum, et viginti millibus equitum in Judæam ingresus est.

Præibant elephanti vastâ corporis mole et horrendo stridore terribiles. Singulis belluis impositæ erant ligneæ turres, ex quibus pugnabant milites armati.

Sed Judas, qui potentiæ divinæ magis quàm numero militum confidebat, isto terrifico belli apparatu non fuit commotus. In eam castrorum hostilium partem irruit, ubi erat tabernaculum regis; et occisis quatuor hominum millibus, tantas opes dissipavit.

204. *Valor de Eleazaro, hermano de Judas Macabeo.*

Memorabilis fuit hæc pugna fortitudine et morte Eleazari.

Is viderat belluam unam cæteris majorem, ac phaleris regiis cir-

cumtectam. Existimans illâ regem vehi, se pro communi salute devovit: per medios hostes ad belluam properavit, sub illius ventrem subiit, repetitis ictibus confossam occidit, et belluæ labentis pondere oppressus ipse occubuit.

205. *Impiedad de Nicanor.—Su derrota.—Su muerte.*

Demetrius, occupato Syriæ regno, adversùs Judæos Nicanorem missit. Hic impius, extensâ in templum dexterâ, ausus est minari se Dei ædem solo æquaturum.

Judas et milites ejus, quamquam pauci erant, cum illo conflixerunt, manu quidem pugnantes, sed Dominum animo orantes.

Regium exercitum ad internecionem ceciderunt. Nicanor ipse inter hostium cadavera repertus est. Cujus caput avulsum Judas Hierosolymam ferri jussit, manumque nefariam templo affixam suspendi.

206. *Muerte de Judas Macabeo.*

Mox secutum est alterum prælium cum Bacchide, uno ex Demetrii præfectis. Quod quidem prælium fuit Judæis funestum: nam illi, amissâ quam in Deum habuerant fiduciâ, animo conciderunt, et alii aliò dilapsi sunt.

Judas cum octigentis tantùm hominibus impetum hostium sustinuit; imò oppositam sibi aciei partem fudit; sed, multitudine hostium circumventus, illorum telis confossus est. Quàm carus populo fuerit, mœrore funeris indicatum est. Sui eum cives diù luxerunt.

207. *Sucede Jonathás á Judas Macabeo.—Su muerte.*

In locum Judæ suffectus est Jonathas. Is, fraternæ virtutis æmulus, Bacchidem pluribus prœliis vicit, illumque ad petendam pacem adegit.

Interea Demetrium regem interfecit Alexander, qui se Antiochi filium dictitabat. Is fœdus cum Jonathâ fecit, eum veste purpureâ donavit, semperque in datâ fide mansit. Ita, quandiu Alexander regno potitus est, res Judæorum tranquillæ fuerunt. Sed paulò pòst Jonathas à Triphone quodam per insidias necatus est.

208. *Sucede Simon á Jonathás.—Su muerte.—Su sucesor.*

Summa rerum ad Simonem, Jonathæ fratrem, delata est. Is funus fratris magnificè curavit, nec diù regnavit; nam et ipse generi sui fraude periit.

Simoni patri successit Joannes, cognomine [74] *Hircanus*, qui post an-

74 *Hircanus cognomine.* Hircano de sobrenombre; es decir, apellidado Hircano.

num mortuus, hæredem reliquit filium Aristobulum. Hic primus omnium post captivitatem regium nomem sumpsit, capitique diadema imposuit.

209. *Los romanos hacen tributaria á la Judea.—El rey Herodes.—Nacimiento del verdadero Mesías.—Año del mundo* 4000.

Mortuo Aristobulo, Alexander, ejus filius, regnavit. Is nullâ re memorabili gestâ, decessit. Duos reliquit filios, qui acriter de regno inter se decertârunt.

Hujus dissidii occasione [75], Pompejus, populi Romani dux, in Judæam venit, specie [76] quidem restituendæ inter fratres concordiæ, revera ut istam provinciam Romano adjungeret imperio, Judæam stipendiariam populi Romani fecit.

Paulò pòst, regnum Judææ invasit Herodes alienigena. Hunc primùm Judæi habuerunt regem ex aliâ gente ortum; eoque regnante, natus est Christus, utì prædixerant prophetæ.

75 *Occasione*, con ocasion.

76 Suple *sub*. Bajo pretexto de restablecer la concordia.

FINIS HISTORIÆ SACRÆ.

EPITOME EVANGELIORUM.

1. *Anuncia el Angel Gabriel el nacimiento de San Juan el precursor.* (LUC.)—*Generacion del Verbo.* (JOANN.) *Concibe la Virgen María por obra del Espíritu Santo.* (MATH.)

Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis [1] completæ sunt, rerum:

Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis:

Visum est et mihi, assecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile,

Ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.

Fuit in diebus Herodis [2] regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia; et uxor illius de filiabus Aaron, et nomen ejus Elisabeth.

Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela,

Et non erat illis filius, eo quòd esset Elisabeth sterilis et ambo processissent in diebus suis.

Factum est autem, cùm sacerdotio fungeretur [3] in ordine vicis suæ ante Deum,

Secundùm consuetudinem sacerdotii, forte exiit ut incensum poneret, ingressus in templum Domini:

Et omnis multitudo populi erat orans foris horâ incensi.

Apparuit autem illi Angelus Domini, stans à dextris altaris incensi.

Et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum.

Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem:

1 *Quæ in nobis*; es decir, *en la Iglesia* de Jesucristo.
2 *In diebus Herodis*; de Herodes, el grande.
3 *Cùm sacerdotio fungeretur*; habiendo llegado al templo.

Et erit gaudium tibi, et exultatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt:

Erit enim magnus coram Domino: et vinum et siceram non bibet, et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ:

Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum:

Et ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ: ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.

Et dixit Zacharias ad Angelum: Unde hoc sciam? Ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis.

Et respondens Angelus dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum; et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizare [4].

Et ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem quo hæc fiant, pro eo quòd non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.

Et erat plebs expectans Zachariam: et mirabantur quòd tardaret ipse in templo.

Egressus autem non poterat loqui ad illos, et cognoverunt quòd visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis, et permansit mutus.

In principio [5] erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.

Hoc erat in principio apud Deum.

Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est.

In ipso vita erat, et vita erat lux hominum:

Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.

Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes.

Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum;

Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.

Erat lux vera, quæ illuminat omnen hominem venientem in hunc mundum.

In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.

In propria venit, et sui eum non receperunt.

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus;

4 *Evangelizare* no es de buena latinidad. Significa *anunciar la buena nueva* y se deriva del griego.

5 *In principio*; esto es, antes de la creacion del mundo.

Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à patre, plenum gratiæ et veritatis.

Et factum est, ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam.

Post hos autem dies concepit Elisabeth uxor ejus, et occultabat se mensibus quinque, dicens:

Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.

In mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ cui nomen Nazareth,

Ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria.

Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave, gratiâ plena [6], Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.

Quæ cùm audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio.

Et ait Angelus ei: Ne timeas, Maria; invenisti enim gratiam apud Deum.

Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum.

Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David, patris ejus: et regnabit in domo Jacob in æternum.

Et regni ejus non erit finis.

Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.

Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua: et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis;

Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.

Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.

Et discessit ab illa Angelus.

2. *Visita la Virgen María á Santa Isabel.*

Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda [7].

6 *Ave* (*gratia plena*) voz griega que puede tomarse por *graciosa*, *muy amada*.

7 *In civitatem Juda*; se cree fuese Hebron.

Et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth.

Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus: et repleta est Spiritu sancto Elisabeth:

Et exclamavit voce magnâ, et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.

Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?

Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.

Et beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.

3. *Cántico de la Virgen.*

Et ait Maria: Magnificat [8] anima mea Dominum:

Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est: et sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis: et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum [9], recordatus misericordiæ suæ:

Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, et semini ejus in secula.

4. *Nacimiento del Precursor.*

Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus: et reversa est in domum suam.

Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, et peperit filium.

Et audierunt vicini et cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei.

Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris sui Zachariam.

Et respondens mater ejus, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Joannes.

Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua [10], qui vocetur hoc nomine.

Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum.

8 *Magnificat anima mea Dominum*: este es el primer cántico del Nuevo Testamento.

9 *Puerum suum*; es decir, próximo á su ruina.

10 *In cognatione tua.* Por este pasaje se viene en conocimiento de semejante costumbre introducida en Israël.

Et postulans pugillarem scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi.

Apertum est autem illico os ejus, et lingua ejus, et loquebatur benedicens Deum.

Et factus est timor super omnes vicinos eorum: et super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc:

Et posuerunt omnes, qui audierant in corde suo, dicentes: Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.

5. *Cántico de Zacarías.*

Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu sancto: et prophetavit [11], dicens:

Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ.

Et erexit cornu salutis [12] nobis, in domo David pueri sui:

Sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt, prophetarum ejus:

Salutem ex inimicis nostris, et de manu omniun, qui oderunt nos:

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: et memorari testamenti sui sancti:

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis:

Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi,

In sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris.

Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis [13], præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus:

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum:

Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens [14] ex alto:

Illuminare his, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu: et erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel.

11 *Prophetavit*; significa *cantó alabanzas á Dios, interpretó las escrituras.*

12 *Cornu salutis*; el Mesías, que segun los judíos había de venir lleno de pompa y magestad.

13 *Altissimi vocaberis*: en este pasajé se predice la gran mision que se reservaba al recien nacido Juan Bautista.

14 *Oriens*: designa á Jesus segun costumbre de los profetas.

6. *Nace Nuestro Señor Jesucristo en Bethlehem.* (Luc. 2.)

Factum est autem in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus [15] orbis.

Hæc descriptio prima, facta est à præside Syriæ Cyrino:

Et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem.

Ascendit autem et Joseph à Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem; eo quòd esset de domo et familia David,

Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.

Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret.

Et peperit filium suum primogenitum [16], et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diversorio.

7. *Es manifestado por los Angeles á los pastores.* (Ib.)

Et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum.

Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno [17].

Et dixit illis Angelus: Nolite timere, ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo:

Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.

Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio.

Et subitò facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, et dicentium:

Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

8. *Adoracion de los Reyes magos.* (Math. 2.)

Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam,

Dicentes: Ubi est qui natus est rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum.

15 *Universus orbis.* Esta expresion parece designar solo en la escritura á la Judea.

16 *Primogenitum*; es decir *unigénito.*

17 *Timuerunt timore magno.* Es un hebraismo, locucion extraña á la alta latinidad.

Audiens autem Herodes rex, turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo.

Et congregans omnes principes sacerdotum, et Scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.

At illi dixerunt ei: In Bethlehem Judæ: Sic enim scriptum est per Prophetam.

Et tu Bethlehem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.

Tunc Herodes, clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis:

Et mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, et interrogate diligenter de puero: et cùm inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum.

Qui cùm audissent regem, abierunt. Et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer.

Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno [18] valde.

Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum; et apertis thesauris suis [19], obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham.

Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

9. *Es circuncidado al octavo dia.—Cántico y profecía de Simeon.* (Luc. 2.)

Et postquàm consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo priùs quàm in utero conciperetur.

Et postquàm impleti sunt dies purgationis ejus secundùm legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino,

Sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.

Et ut darent hostiam secundùm quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus et timoratus, expectans consolationem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo.

18 Véase la nota anterior.

19 *Apertis thesauris*; decíase tesoro entre los hebreos todo lo que se ocultaba para conservarlo.

Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem nisi priùs videret Christum Domini.

Et venit in spiritu in templum. Et cùm inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundùm consuetudinem legis pro eo:

Et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit:

Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace:

Quia viderunt oculi mei salutare tuum,

Quod parasti ante faciem omnium populorum,

Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.

Et erat pater ejus et mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo.

Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel: et in signum, cui contradicetur:

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

10. *Huida de Jesus á Egipto.— Degollacion de los inocentes.* (MATH. 2.)

Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi, futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.

Qui consurgens, accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum.

Et erat ibi usque ad obitum Herodis, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum.

Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde: et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, à bimatu et infra, secundùm tempus quod exquisierat à Magis.

Tunc adimpletum est quod dictum est, per Jeremiam prophetam dicentem:

Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus: Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt.

11. *Jesus, María y Joseph vuelven de Egipto.* (IB.)—*Jesus á los doce años de edad disputa en el templo con los doctores de la ley.* (LUC. 2.)

Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto,

Dicens: Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel: defuncti sunt [20] enim, qui quærebant animam pueri.

Qui consurgens, accepit puerum et matrem ejus, et venit in terram Israel.

Audiens autem quòd Archelaüs regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illò ire: et admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ.

Et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.

Puer autem crescebat et confortabatur, plenus sapientiâ: et gratia Dei erat in illo.

Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ.

Et cùm factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam secundùm consuetudinem diei festi,

Consummatisque diebus, cùm redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus.

Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et notos.

Et non invenientes, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum.

Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos.

Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus.

Et videntes admirati sunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te.

Et ait ad illos: Quid est quòd me quærebatis? nesciebatis quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse?

Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos.

Et descendit cum eis, et venit Nazareth: et erat subditus illis. Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.

Et Jesus proficiebat sapientiâ, et ætate, et gratiâ apud Deum et homines.

12. *Predicacion de S. Juan el Precursor. — Bautismo de Jesus. — Es dado á conocer por hijo Unigénito de Dios.* (MATH. 3.)

In diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ,

Et dicens: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum.

20 *Defuncti sunt*; número plural por singular, pues que el muerto era solo Herodes.

Hic est enim, qui dictus est per Isaiam prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas ejus.

Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum [21], et zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem ejus erat locustæ, et mel silvestre.

Tunc exibat ad eum Jerosolyma, et omnis Judæa, et omnis regio circa Jordanem:

Et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua.

Videns autem multos Pharisæorum et Sadducæorum, venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira?

Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.

Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham; dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.

Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.

Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, et igni:

Cujus ventilabrum in manu sua; et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

Tunc venit Jesus à Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo.

Joannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, et tu venis ad me?

Respondens autem Jesus, dixit ei: Sine modò: sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimisit eum.

Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua: et ecce aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se.

Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

13. *Ayuno y tentacion de Jesu-Christo en el desierto.* (Luc. 4.

Tunc Jesus ductus est in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo.

Et cùm jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus postea esuriit.

21 *De pilis camelorum*; no de la piel de camello, como han creido nuestros pintores.

Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.

Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi:

Et dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Ait illi Jesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.

Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde: et ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum:

Et dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.

Tunc dicit ei Jesus: Vade, satana: Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.

Tunc reliquit eum diabolus: et ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei.

11. *Vuelve á Galilea.—Empieza su predicacion, siguiéndole sus primeros discípulos.—Es seguido de mucha gente.* (MATH. lib. 4.)

Cùm autem audisset Jesus quòd Joannes traditus esset, secessit in Galilæam:

Et, relictà civitate Nazareth, venit, et habitavit in Capharnaüm maritima, in finibus Zabulon et Nephthalim:

Ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam:

Terra Zabulon, et terra Nephthalim, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium,

Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: et sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.

Exinde cœpit Jesus prædicare, et dicere: Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum.

Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare, erant enim piscatores,

Et ait illis: Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.

At illi continuò, relictis retibus, secuti sunt eum.

Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua: et vocavit eos.

Illi autem statim relictis retibus et patre, secuti sunt eum.

Et circuibat Jesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, et prædicans evangelium regni, et fanans omnem languorem et omnem infirmitatem in populo.

Et abiit opinio ejus in totam Syriam, et obtulerunt ei omnes malè habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui dæmonia habebant, et lunaticos, et paralyticos; et curavit eos.

Et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa et Decapoli, et de Jerosolymis, et de Judæa, et de trans Jordanem.

15. *Sermon del Monte.* (Ib. 5.)

Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem; et cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus.

Et aperiens os suum docebat eos, dicens:

Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.

Beati, qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.

Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur.

Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.

Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur.

Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Beati estis cùm maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversùm vos mentientes, propter me:

Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis: sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos.

16. *De la limosna.—De la oracion.—Del ayuno.—No es posible servir al mismo tiempo á Dios y al mundo.—De la confianza en la divina Providencia.* (Ib. 6.)

Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cœlis est.

Cùm ergo facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, et in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua;

Ut sit eleemosyna tua in abscondito: et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

Et cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis et

in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

Tu autem, cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito: et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

Orantes autem, nolite multùm loqui, sicut Ethnici: putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur.

Nolite ergo assimilari eis: scit enim pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum.

Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in cœlis: sanctificetur nomen tuum.

Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra.

Panem nostrum [22] supersubstantialem da nobis hodie,

Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

Et ne nos inducas in tentationem; sed libera nos à malo. Amen.

Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis pater vester cœlestis delicta vestra.

Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.

Cùm autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

Tu autem, cùm jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava,

Ne videaris hominibus jejunans, sed patri tuo, qui est in abscondito: et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur; et ubi fures effodiunt et furantur.

Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur; et ubi fures non effodiunt, nec furantur.

Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.

Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt; ipsæ tenebræ quantæ erunt?

Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, et alterum diliget: aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonæ.

22 *Panem nostrum*; se pone la especie por el género, el pan por toda clase de alimento.

Ideo dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quàm esca; et corpus plus quàm vestimentum?

Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?

Quis autem vestrùm cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?

Et de vestimento, quid soliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent.

Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.

Si autem fœnum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quantò magis vos, modicæ fidei?

Nolite ergo soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?

Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis.

Quærite ergo primùm regnum Dei, et justitiam ejus: et hæc omnia adjicientur vobis.

Nolite ergo soliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei malitia sua.

17. *Parábola de la mies y de los segadores.* (Ib. 9.)

Videns autem turbas, misertus est eis: quia erant vexati, et jacentes sicut oves non habentes pastorem.

Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarii autem pauci.

Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

18. *Mision de los doce Apóstoles* (Ib. 10.)

Et convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem.

Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc. Primus, Simon, qui dicitur Petrus, et Andreas frater ejus;

Jacobus Zebedæi, et Joannes frater ejus; Philippus, et Bartholomæus; Thomas, et Matthæus publicanus; Jacobus Alphæi, et Thaddæus;

Simon Cananæus, et Judas Iscariotes, qui et tradidit eum.

Eos duodecim misit Jesus; præcipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis.

Sed potiùs ite ad oves, quæ perierunt domûs Israel.

Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cœlorum.

Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite: gratìs accepistis, gratìs date.

Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris:

Non peram [23] in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus enim est operarius cibo suo.

In quamcumque autem civitatem aut castellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus sit: et ibi manete donec exeatis.

Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui.

Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos.

Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros; exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris.

Amen dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quàm illi civitati.

Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum: estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.

Cavete autem ab hominibus, tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos:

Et ad præsides et ad reges ducemini propter me, in testimonium illis, et gentibus.

Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.

Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.

Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium: et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient.

Et eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

Cùm autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis.

23 *Peram*, esta palabra es de orígen griego y poco usada de los autores clásicos.

Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum.

Sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus; et servo, sicut dominus ejus. Si patrem familias Beelzebub [24] vocaverunt; quantò magis domesticos ejus?

Ne ergo timueritis eos; nihil enim est opertum, quod non revelabitur; et occultum, quod non scietur.

Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quod in aure auditis, prædicate super tecta.

Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.

Nonne duo passeres asse venèunt: et unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro?

Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.

Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos.

Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.

Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.

Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium.

Veni enim separare hominem adversùs patrem suum, et filiam adversùs matrem suam, et nurum adversùs socrum suam:

Et inimici hominis, domestici ejus.

Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus: et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.

Et qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus.

Qui invenit animam suam, perdet illam: et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

Qui recipit vos, me recipit: et qui me recipit, recipit eum qui me misit.

Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.

Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm, in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

24 *Si patrem familias Beelzebub.* Los filisteos adoraban esta deidad, mencionada en uno y otro Testamento.

19. *Parábolas del sembrador, del grano de mostaza, de la levadura, del tesoro escondido, de la piedra preciosa, de la red llena de peces. — El profeta no tiene crédito en su patria.* (Ib. 13.)

In illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare.

Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam ascendens sederet: et omnis turba stabat in littore:

Et locutus est eis multa in parabolis, dicens: Ecce exiit qui seminat, seminare.

Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, et venerunt volucres cœli, et comederunt ea.

Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam: et continuò exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ.

Sole autem orto æstuaverunt: et quia non habebant radicem, aruerunt.

Alia autem ceciderunt in spinas: et creverunt spinæ, et suffocaverunt ea.

Alia autem ceciderunt in terram bonam: et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.

Qui habet aures audiendi, audiat.

Et accedentes discipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis?

Qui respondens, ait illis: Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum: illis autem non est datum.

Qui enim habet, dabitur ei, et abundabit: qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo.

Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt.

Et adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis: Auditu audietis [25], et non inteligetis: et videntes videbitis, et non videbitis.

Incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos clauserunt: ne quando videant oculis, et auribus audiant, et cordè intelligant, et convertantur, et sanem eos.

Vestri autem beati oculi quia vident, et aures vestræ quia audiunt.

Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt.

Vos ergo audite parabolam seminantis.

Omnis qui audit verbum regni, et non intelligit, venit malus, et rapit quod seminatum est in corde ejus: hic est qui secus viam seminatus est.

25 *Auditu audietis*, es un hebraismo, contrario al genio de la lengua latina.

Qui autem super petrosa seminatus est, hic est, qui verbum audit, et continuò cum gaudio accipit illud:

Non habet autem in se radicem, sed est temporalis: factâ autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuò scandalizatur.

Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, et sollicitudo seculi istius, et fallacia divitiarum, suffocat verbum, et sine fructu efficitur.

Qui verò in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit verbum, et intelligit, et fructum affert, et facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud verò trigesimum.

Aliam parabolam proposuit illis, dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo.

Cùm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, est superseminavit zizania [26] in medio tritici, et abiit.

Cùm autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania.

Accedentes autem servi patris familias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania?

Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis, imus, et colligimus ea?

Et ait: Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum.

Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primùm zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum.

Aliam parabolam proposuit eis dicens: Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo:

Quod minimum quidem est omnibus seminibus: cùm autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, et habitent in ramis ejus.

Aliam parabolam locutus est eis: Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.

Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas: et sine parabolis non loquebatur eis:

Ut impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi.

Tunc, dimissis turbis, venit in domum: et accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri.

26 *Zizania*, está aquí como indeclinable; sin embargo pertenece á la primera declinacion. Mejor hubiera sido usar *Zizanium*.

Qui respondens ait illis: Qui seminat bonum semen, est Filius hominis.

Ager autem, est mundus. Bonum verò semen, hi sunt filii regni. Zizania autem, filii sunt nequam.

Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus. Messis verò, consummatio seculi est. Messores autem, angeli sunt.

Sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburuntur: sic erit in consummatione seculi.

Mittet filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem:

Et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, et stridor dentium.

Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat.

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro: quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum.

Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.

Inventâ autem unâ pretiosâ margaritâ, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam.

Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti.

Quam, cùm impleta esset, educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.

Sic erit in consummatione seculi: exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum,

Et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, et stridor dentium.

Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam.

Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patri familias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.

Et factum est, cùm consummasset Jesus parabolas istas, transiit inde.

Et veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur, et dicerent: Unde huic sapientia hæc, et virtutes?

Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria; et fratres ejus, Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas?

Et sorores ejus, nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic omnia ista?

Et scandalizabantur in eo. Jesus autem dixit eis: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, et in domo sua.

Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum.

20. *Degollacion de San Juan Bautista.*

In illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam Jesu:

Et ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista: ipse surrexit à mortuis, et ideo virtutes operantur in eo.

Herodes enim tenuit Joannem, et alligavit eum: et posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui.

Dicebat enim illi Joannes: Non licet tibi habere eam.

Et volens illum occidere, timuit populum: quia sicut prophetam eum habebant.

Die autem natalis Herodis, saltavit filia Herodiadis in medio, et placuit Herodi.

Unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo.

At illa præmonita à matre sua, Da mihi, inquit, hìc in disco caput Joannis Baptistæ.

Et contristatus est rex: propter juramentum autem, et eos qui pariter recumbebant, jussit dari.

Misitque et decollavit Joannem in carcere.

Et allatum est caput ejus in disco, et datum est puellæ, et attulit matri suæ.

Et accedentes discipuli ejus, tulerunt corpus ejus, et sepelierunt illud: et venientes nuntiaverunt Jesu.

21. *Camina Jesus y hace caminar á San Pedro sobre las olas del mar.* (MATH. 14.)

Quartâ autem vigiliâ noctis, venit ad eos ambulans super mare.

Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia fantasma est. Et præ timore clamaverunt.

Statimque Jesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam: ego sum, nolite timere.

Respondens autem Petrus dixit: Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas.

At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam ut veniret ad Jesum.

Videns verò ventum validum, timuit: et cùm cœpisset mergi, clamavit dicens: Domine, salvum me fac.

Et continuò Jesus extendens manum, apprehendit eum et ait illi: Modicæ fidei [27], quare dubitasti?

Et cùm ascendissent in naviculam, cessavit ventus.

Qui autem in navicula erant, venerunt, et adoraverunt eum, dicentes: Verè Filius Dei es.

27 *Modicæ fidei*, suple *homo*; *hombre de poca fé.*

22. *Milagro de los panes y de los peces.* (Ib. 14.)

Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus, et hora jam præteriit: dimitte turbas, ut euntes in castella, emant sibi escas.

Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire: date illis vos manducare.

Responderunt ei: Non habemus hîc nisi quinque panes, et duos pisces.

Qui ait eis: Afferte mihi illos huc.

Et cùm jussisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus, et duobus piscibus, aspiciens in cœlum benedixit, et fregit, et dedit discipulis panes, discipuli autem turbis.

Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos.

Manducantium autem fuit numerus, quinque millia virorum, exceptis mulieribus, et parvulis.

Et statim compulit Jesus discipulos ascendere in naviculam, et præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.

Et dimissâ turbâ, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto, solus erat ibi.

Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus.

23. *Confesion y primacía de San Pedro.* (Ib. 16.)

Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi: et interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis?

At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii verò Jeremiam, aut unum ex prophetis.

Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis?

Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi.

Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es, Simon Bar-Jona [28]: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.

Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.

Tunc præcepit discipulis suis, ut nemini dicerent quia ipse esset Jesus Christus.

Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire

28 Voz hebráica compuesta de *bar*, hijo, y de *Jona*, Jonás, *hijo de Jonás.*

Jerosolymam, et multa pati à senioribus, et Scribis, et principibus Sacerdotum, et occidi, et tertiâ die resurgere.

Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens: Absit à te, Domine: non erit tibi hoc.

Qui conversus, dixit Petro: Vade post me, satana; scandalum es mihi: quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.

Tunc Jesus dixit discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?

Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis: et tunc reddet unicuique secundùm opera ejus.

Amen dico vobis, sunt quidam de hìc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.

24. *Transfiguracion de Jesus.* (Ib. 17.)

Et post dies sex assumit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et ducit illos in montem excelsum [29] seorsum:

Et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.

Et ecce apparuerunt illis Moyses et Elias cum eo loquentes.

Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum: Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum et Eliæ unum.

Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui: ipsum audite.

Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde.

Et accessit Jesus, et tetigit eos: dixitque eis: Surgite et nolite timere.

Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum.

Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Jesus dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.

25. *Paga Jesus el tributo por sí y por Pedro con una moneda milagrosamente hallada.* (Ib. 17.)

Conversantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Jesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum:

29 *In montem excelsum*; al Tabor

Et occident eum, et tertiâ die resurget. Et contristati sunt vehementer.

Et cùm venissent Capharnaüm accesserunt qui didrachma [30] accipiebant, ad Petrum, et dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma?

Ait: Etiam. Et cùm intrasset in domum, prævenit eum Jesus, dicens: Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? à filiis suis, an ab alienis?

Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii.

Ut autem non scandalicemus eos, vade ad mare, et mitte hamum: et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: et aperto ore ejus, invenies staterem [31]: illum sumens, da eis pro me et te.

26. *Doctrina de Jesus sobre la humildad, el pecado de escándalo, la correccion fraterna, la potestad de perdonar los pecados, la compasion con los pecadores y el perdon de los enemigos.* (MATH. 18.)

In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in regno cœlorum?

Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum,

Et dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.

Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum.

Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.

Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.

Væ mundo à scandalis. Necesse est enim ut veniant scandala: verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit.

Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te; abscide eum, et projice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.

Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te: bo-

30 *Didrachma*, dos dracmas: las monedas antiguamente no se contaban, sino que se quilataban al peso, por lo cual no es fácil hacer cotejo exacto de su valor con el de la moderna. Los profesores cuidarán no obstante de dar algunas nociones de las monedas hebreas, valiéndose para ello del *Apparatus biblicus* de Lamy, y de las romanas, consultando las de las *colonias* y *municipios* del P. Maestro Florez.

31 *Staterem*, peso; del verbo griego ἱστάναι

num tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.

Venit enim Filius hominis salvare quod perierat.

Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oves, et erraverit una ex eis: nonne relinquit nonaginta novem in montibus, et vadit quærere eam quæ erravit?

Et si contigerit ut inveniat eam: Amen dico vobis, quia gaudet super eam magis quàm super nonaginta novem, quæ non erraverunt.

Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis.

Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.

Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.

Quòd si non audierit eos, dic ecclesiæ. Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.

Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.

Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis est.

Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies?

Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.

27. *Parábolas del buen pastor y de los diez mil talentos.*

Ideò assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.

Et cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta [32].

Cùm autem non haberet unde redderet, jussit eum dominus ejus venumdari, et uxorem ejus, et filias, et omnia quæ habebat, et reddi.

32. *Talenta*, denarios.

Procidens autem servus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei.

Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios [33]: et tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes.

Et procidens conservus ejus, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

Ille autem noluit: sed abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum.

Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde: et venerunt, et narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerant.

Tunc vocabit illum dominus suus, et ait illi: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me:

Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?

Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.

Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

28. *De la indisolubilidad del matrimonio.—Bendice Jesus á los niños.* (Ib. 19.)

Et factum est, cùm consummasset Jesus sermones istos, migravit à Galilæa, et venit in fines Judææ trans Jordanem,

Et secutæ sunt eum turbæ multæ, et curavit eos ibi.

Et accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum, et dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam, quacumque ex causa.

Qui respondens, ait eis: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos; et dixit:

Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærevit uxori suæ, et erunt duo in carne una.

Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunsit, homo non separet.

Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere?

Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic.

33. Véase la nota 30.

Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur: et qui dimissam duxerit, mœchatur.

Dicunt ei discipuli ejus: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.

Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.

Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.

Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret. Discipuli autem increpabant eos.

Jesus verò ait eis: Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cœlorum.

Et cum imposuisset eis manus, abiit inde.

29. *Parábola de los obreros llamados á trabajar en la viña.—Predice Jesus su muerte y su resurreccion.—Da vista á los ciegos.* (MATH. 20.)

Simile est regnum cœlorum homini patri familias, qui exiit primo mane [34] conducere operarios in vineam suam.

Conventione autem factâ cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam.

Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos,

Et dixit illis: Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit dabo vobis.

Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam et nonam horam: et fecit similiter.

Circa undecimam [35] verò exiit, et invenit alios stantes, et dicit illis: Quid hìc statis totâ die otiosi?

Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite et vos in vineam meam.

Cùm serò autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens à novissimis usque ad primos.

Cùm venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios.

Venientes autem et primi, arbitrati sunt quòd plus essent accepturi: acceperunt autem et ipsi singulos denarios.

34 *Primo mane*, la primera hora del dia.

35 *Circa undecimam*, la penúltima hora del dia.

Et accipientes murmurabant adversùs patrem familias,

Dicentes: Hi novissimi unâ horâ fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstûs.

At ille respondens uni eorum, dixit: Amice, non facio tibi injuriam: nonne ex denario convenisti mecum?

Tolle quod tuum est, et vade: volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi.

Aut non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?

Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

Et ascendens Jesus Jerosolymam, assumpsit duodecim discipulos secretò, et ait illis:

Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et Scribis, et condenabunt eum morte,

Et tradent eum Gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum, et tertiâ die resurget.

Et egredièntibus illis ab Jericho, secuta est eum turba multa:

Et ecce duo cæci sedentes secus viam, audierunt quia Jesus transiret: et clamaverunt, dicentes: Domine, miserere nostrî, fili David.

Turba autem increpabat eos, ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miserere nostrî, fili David.

Et estetit Jesus, et vocavit eos, et ait: Quid vultis ut faciam vobis?

Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi nostri.

Misertus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt, et secuti sunt eum.

30. *Entra Jesus en Jerusalen aclamado por Mesías.—Echa del templo á los publicanos.— Maldice á una higuera y confunde á los incrédulos con parabolas y razones.* (MATH. 21.)

Et cùm appropinquassent Jerosolymis, et venissent Bethphage [36] ad montem Oliveti: tunc Jesus misit duos discipulos,

Dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea: solvite, et adducite mihi:

Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet: et confestim dimittet eos.

Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem:

36 *Bethphage*, aldea cercana á Jerusalen, ó mas propio *casa* de *Phage*.

Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subjugalis.

Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Jesus.

Et adduxerunt asinam et pullum: et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt.

Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via: alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via:

Turbæ autem, quæ præcedebant, et quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna [37] filio David: Benedictus, qui venit in nomine Domini: hosanna in altissimis.

Et cùm intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens: Quis est hic?

Populi autem dicebant: Hic est Jesus propheta à Nazareth Galilææ.

Et intravit Jesus in templum Dei, et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo; et mensas numulariorum [38], et cathedras vendentium columbas evertit:

Et dicit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.

Et accesserunt ad eum cæci et claudi in templo: et sanavit eos.

Videntes autem principes sacerdotum, et Scribæ mirabilia, quæ fecit, et pueros clamantes in templo, et dicentes: Hosanna filio David: indignati sunt,

Et dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis: Utique. Nunquam legistis: Quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem?

Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam: ibique mansit.

Mane autem revertens in civitatem, esuriit.

Et videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam: et nihil invenit in ea nisi folia tantùm, et ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuò ficulnea.

Et videntes discipuli, mirati sunt, dicentes: Quomodo continuò aruit?

Respondens autem Jesus ait eis: Amen dico vobis, si habueritis fidem, et non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed et si monti huic dixeritis, Tolle, et jacta te in mare, fiet.

Et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.

Et cùm venisset in templum, accesserunt ad eum docentem, princi-

37 *Hosanna*; voz hebrea de aclamacion, como: *viva el Altísimo*, ó de súplica, como: *acoge, Señor, nuestros ruegos.*

38 *Numulariorum*; cambiantes de moneda.

pes sacerdotum, et seniores populi, dicentes: In qua potestate hæc facis? Et; Quis tibi dedit hanc potestatem?

Respondens Jesus dixit eis: Interrogabo vos et ego unum sermonem: quem si dixeritis mihi, et ego vobis dicam in qua potestate hæc facio.

Baptismus Joannis unde erat? è cœlo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter se, dicentes:

Si dixerimus è cœlo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbam: omnes enim habebant Joannen sicut prophetam.

Et respondentes Jesu, dixerunt: Nescimus. Ait illis et ipse: Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio.

Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, et accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie, operare in vinea mea.

Ille autem respondens, ait: Nolo. Postea autem, pœnitentiâ motus abiit.

Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo, domine; et non ivit.

Quis, ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis Jesus: Amen dico vobis, quia publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei.

Venit enim ad vos Joannes in via justitiæ, et non credidistis ei: publicani autem, et meretrices crediderunt ei: vos autem videntes, nec pœnitentiam habuistis postea, ut crederitis ei.

Aliam parabolam audite: Homo erat pater familias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular [39], et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregrè profectas est.

Cùm autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus.

Et agricolæ, apprehensis servis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidaverunt.

Iterum misit alios servos plures prioribus, et fecerunt illis similiter.

Novissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum.

Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: Hïc est heres; venite, occidamus eum, et habebimus hereditatem ejus.

Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, et occiderunt.

Cùm ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?

39 *Torcula*; voz griega que significa propiamente *lago subterráneo*: se aplica á la prensa del lagar.

Aiunt illi: Malos malè perdet; et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.

Dicit illis Jesus: Numquam legistis in Scripturis: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: à Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris?

Ideò dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.

Et qui céciderit super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum.

Et cùm audissent principes sacerdotum et Pharisæi parabolas ejus, cognoverunt quòd de ipsis diceret.

Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas: quoniam sicut prophetam eum habebant.

31. *Parábola del Rey que convidó á las bodas de su hijo.* (MATH. 22.)

Et respondens Jesus, dixit iterum in parabolis eis, dicens:

Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.

Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire.

Iterum misit alios servos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia [40] occisa sunt, et omnia parata: venite ad nuptias.

Illi autem neglexerunt: et abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam:

Reliqui verò tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt.

Rex autem cùm audisset, iratus est: et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit.

Tunc ait servis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni.

Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias.

Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, malos et bonos: et impletæ sunt nuptiæ discumbentium.

Intravit autem rex ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.

Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.

40 *Altilia*, voz griega que significa *víctimas mayores*, ó sacrificio de grandes animales.

Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, et stridor dentium.

Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

32 *Si debe pagarse el tributo al César.—Doctrina sobre la resurreccion.—Del amor de Dios y del prójimo.—Cristo hijo y señor de David.* (MATH. 22.)

Tunc abeuntes Pharisæi, consilium inierunt ut caperent eum in sermone.

Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum:

Dic ergo nobis quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari, an non?

Cognità autem Jesus nequitià eorum, ait: Quid me tentatis, hypocritæ?

Ostendite mihi numisma censûs. At illi obtulerunt ei denarium.

Et ait illis Jesus: Cujus est imago hæc, et superscriptio?

Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; è quæ sunt Dei, Deo.

Et audientes mirati sunt, et relicto eo abierunt.

In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem: et interrogaverunt eum,

Dicentes: Magister, Moyses dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, et suscitet semen fratri suo.

Erant autem apud nos septem fratres: et primus, uxore ductâ, defunctus est: et non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo.

Similiter secundus, et tertius, usque ad septimum.

Novissimè autem omnium et mulier defuncta est.

In resurrectione ergo cujus erit de septem uxor? omnes enim habuerunt eam.

Respondens autem Jesus, ait illis: Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.

In resurrectione enim, neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut angeli Dei in cœlo.

De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis:

Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac et Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium.

Et audientes turbæ, mirabantur in doctrina ejus.

Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum:

Et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum:

Magister, quod est mandatum magnum in lege?

Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua.

Hoc est maximum, et primum mandatum.

Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.

In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ.

Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus,

Dicens: Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei: David.

Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens:

Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?

Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?

Et nemo poterat ei respondere verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum ampliùs interrogare.

33. *Predice Jesus la ruina de Jerusalen y del templo, y anuncia á sus discípulos lo que sucederia durante la promulgacion del Evangelio, y en su segunda venida.* (MATH. 24.)

Et egressus Jesus de templo, ibat. Et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi.

Ipse autem respondens dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hîc lapis super lapidem, qui non destruatur.

Sedente autem eo super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli secretò, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt? et quod signum adventùs tui, et consummationis seculi?

Et respondens Jesus, dixit eis: Videte ne quis vos seducat.

Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus: et multos seducent.

Audituri enim estis prælia, et opiniones præliorum. Videte ne turbemini: oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis.

Consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestilentiæ, et fames et terræ motus per loca.

Hæc autem omnia initia sunt dolorum.

Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos: et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.

Et tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem.

Et multi pseudoprophetæ surgent, et seducent multos.

Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum.

Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus: et tunc veniet consummatio.

Cùm ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto: qui legit, intelligat:

Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes:

Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua:

Et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.

Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus.

Orate autem ut non fiat fuga vestra in hieme, ved sabbato.

Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modò, neque fiet.

Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos breviabuntur dies illi.

Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hìc est Christus, aut illic: nolite credere.

Surgent enim pseudochristi, et pseudoprophetæ: et dabunt signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.

Ecce prædixi vobis.

Si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere.

Sicut enim fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem: ita erit et adventus Filii hominis.

Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ.

Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur:

Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo: et tunc plangent omnes tribus terræ: et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, et majestate.

Et mittet angelos suos cum tuba, et voce magna: et congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à summis cœlorum usque ad terminos eorum.

Ab arbore autem fici discite parabolam: cùm jam ramus ejus tener fuerit, et folia nata, scitis quia prope est æstas:

Ita et vos cùm videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis.

Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant.

Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.

De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus pater.

Sicut autem in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis.

Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam,

Et non cognoverunt donec venit diluvium, et tulit omnes: ita erit et adventus Filii hominis.

Tunc duo erunt in agro: unus assumetur, et unus relinquetur.

Duæ molentes in mola: una assumetur, et una relinquetur.

34. *Parábolas de las diez vírgenes y de los talentos.* (Ib. 25.)

Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ.

Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes:

Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum:

Prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.

Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt.

Mediâ autem nocte, clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei.

Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas.

Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguntur.

Responderunt prudentes, dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis et vobis, ite potiùs ad vendentes, et emite vobis.

Dum autem irent emere, venit sponsus: et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua.

Novissimè verò veniunt et reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis.

At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos.

Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.

Sicut enim homo peregrè proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua.

Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum, unicuique secundùm propriam virtutem, et profectus est statim.

Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque.

Similiter et qui duo acceperat, lucratus est alia duo.

Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui.

Post multum verò temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis.

Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque superlucratus sum.

Ait illi dominus ejus: Euge, serve bone et fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium domini tui.

Accessit autem et qui duo talenta acceperat, et ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi; ecce alia duo lucratus sum.

Ait illi dominus ejus: Euge, serve bone et fidelis; quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium domini tui.

Accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es; metis ubi non seminasti, et congregas ubi non sparsisti:

Et timens abii, et abscondi talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum est.

Respondens autem dominus ejus, dixit ei: Serve male et piger, sciebas quia meto ubi non semino, et congrego ubi non sparsi:

Oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura.

Tollite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta.

Omni enim habenti dabitur, et abundabit; ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo.

Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, et stridor dentium.

Cùm autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ:

Et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis:

Et statuet oves quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.

Tunc dicet rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite, benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.

Esurivi enim et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram, et collegistis me:

Nudus, et cooperuistis me: infirmus, et visitastis me: in carcere eram, et venistis ad me.

Tunc respondebunt ei justi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te: sitientem, et dedimus tibi potum?

Quando autem te vidimus hospitem, et collegimus te: aut nudum, et cooperuimus te?

Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, et venimus ad te?

Et respondens rex, dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

Tunc dicet et bis, qui à sinistris erunt: Discedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus.

Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare: sitivi, et non dedistis mihi potum:

Hospes eram, et non collegistis me: nudus, et non cooperuistis me: infirmus, et in carcere, et non visitastis me.

Tunc respondebunt ei et ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, et non ministravimus tibi?

Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.

Et ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam.

35. *De la oracion dominical.—Perseverancia en la oracion.* (Luc. 11.)

Et factum est cùm esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad eum: Domine, doce nos orare, sicut docuit et Joannes discipulos suos.

Et ait illis: Cùm oratis, dicite: Pater, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem et *ipsi dimittimus* omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem.

Et ait ad illos: Quis vestrûm habebit amicum, et ibit ad illum mediâ nocte, et dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes,

Quoniam amicus meus venit de via ad me, et non habeo quod ponam ante illum:

Et ille deintùs respondens dicat: Noli mihi molestus esse; jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili; non possum surgere, et dare tibi?

Et si ille perseveraverit pulsans: dico vobis, et si non dabit illi surgens eo quòd amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios.

Et ego dico vobis: Petite, et dabitur vobis: quærite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis.

Omnis enim qui petit, accipit: et qui quærit, invenit: et pulsanti aperietur.

Quis autem ex vobis patrem [41] petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piscem: numquid pro pisce serpentem dabit illi?

[41] *Patrem*, esto es, *à patre*.

Aut si petierit ovum: numquid porriget illi scorpionem?

Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quantò magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?

36. *Ultima cena.—Habla Jesus de la traicion de Judas.—Institucion de la Eucaristia.* (MATH. 26.)

Et factum est: cùm consummasset Jesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis:

Scitis quia pòst biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur.

Tunc congregati sunt principes sacerdotum, et seniores populi, in atrium principis sacerdotum [42], qui dicebatur Caiphas:

Et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent, et occiderent.

Dicebant autem: Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.

Cùm autem Jesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi,

Accessit ad eum mulier [43] habens alabastrum unguenti pretiosi, et effudit super caput ipsius recumbentis.

Videntes autem discipuli, indignati sunt dicentes: Ut quid perditio hæc?

Po'uit enim istud venundari multò, et dari pauperibus.

Sciens autem Jesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me.

Nam semper pauperes habetis vobiscum: me autem non semper habetis.

Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.

Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus.

Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad principes sacerdotum:

Et ait illis: Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos.

Et exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet.

Primâ autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?

At Jesus dixit: Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.

42 *In atrium principis sacerdotum*; en el atrio, en el portal del sumo pontífice.

43 *Accessit ad Deum mulier*; María, hermana de Martha y de Lázaro.

Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, et paraverunt Pascha.

Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis.

Et edentibus illis, dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrûm me traditurus est.

Et contristati valdè, cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum, Domine?

At ipse respondens, ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.

Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo; væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.

Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum, Rabbi? [44] Ait illi: Tu dixisti.

Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite: hoc est corpus meum.

Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes.

Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.

Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti.

37. *Prision de Jesus y sentencia del Synedrio contra él.—Negaciones y penitencia de San Pedro.*

Tunc venit Jesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani [45], et dixit discipulis suis: Sedete hîc, donec vadam illuc, et orem.

Et assumpto Petro et duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari et mœstus esse.

Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hîc, et vigilate mecum.

Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans, et dicens: Pater mi! si possibile est, transeat à me calix iste [46]: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.

Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro: Sic non potuistis unâ horâ vigilare mecum?

44 Voz hebrea compuesta de *rab*, maestro, y de la partícula *i*, mio, tomada de *ani*, yo.

45 *Gethsemani*, huerto situado al oriente de Jerusalem.

46 *Transeat à me calix iste*; expresion figurada que denota en las escrituras la amargura y el tormento.

Vigilate, et orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

Iterum secundò abiit, et oravit, dicens: Pater mi! si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

Et venit iterum, et invenit eos dormientes: erant enim oculi eorum gravati.

Et relictis illis, iterum abiit, et oravit tertiò, eumdem sermonem dicens.

Tunc venit ad discipulos suos, et dicit illis: Dormite jam, et requiescite: ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

Surgite, eamus: ecce appropinquavit qui me tradet.

Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit, et cum eo turba multa, cum gladiis et fustibus, missi à principibus sacerdotum, et senioribus populi.

Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.

Et confestim accedens ad Jesum, dixit: Ave, Rabbi. Et osculatus est eum.

Dixitque illi Jesus: Amice, ad quid venisti? Tunc accesserunt, et manus injecerunt in Jesum, et tenuerunt eum.

Et ecce unus ex his qui erant cum Jesu, extendens manum, exemit gladium suum, et percutiens servum principis sacerdotum, amputavit auriculam ejus.

Tunc ait illi Jesus: Converte gladium tuum in locum suum; omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.

An putas, quia non possum rogare patrem meum, et exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones angelorum?

Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?

In illa hora dixit Jesus turbis: Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me: quotidie apud vos sedebam docens in templo, et non me tenuistis.

Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur Scripturæ prophetarum. Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.

At illi tenentes Jesum, duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, ubi Scribæ et seniores convenerant.

Petrus autem sequebatur eum à longè, usque in atrium principis sacerdotum. Et ingressus intrò, sedebat cum ministris, ut videret finem.

Principes autem sacerdotum, et omne concilium, quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent.

Et non invenerunt, cùm multi falsi testes accessissent. Novissimè autem venerunt duo falsi testes,

Et dixerunt: Ilic dixit: Possum destruere templum Dei, et post triduum reædificare illud.

Et surgens princeps sacerdotum, ait illi: Nihil respondes ad ea, quæ isti adversùm te testificantur?

Jesus autem tacebat. Et princeps sacerdotum ait illi: Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei.

Dicit illi Jesus: Tu dixisti: verumtamen dico vobis: amodo videbitis Filium hominis sedentem à destris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli.

Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit: quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam:

Quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis.

Tunc expuerunt in faciem ejus, et colaphis eum ceciderunt; alii autem palmas in faciem ejus dederunt,

Dicentes: Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit?

Petrus verò sedebat foris in atrio: et accessit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Jesu Galilæo eras.

At ille negavit coram omnibus, dicens: Nescio quid dicis.

Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, et ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Jesu Nazareno.

Et iterum negavit cum juramento: Quia non novi hominem.

Et post pusillum accesserunt qui stabant, et dixerunt Petro: Verè et tu ex illis es; nam et loquela tua manifestum te facit.

Tunc cœpit detestari et jurare quia non novisset hominem. Et continuò gallus cantavit.

Et recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat: Priùs quàm gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, flevit amarè.

33. *Ahórcase Judas.—Jesus es azotado, escarnecido, crucificado y colmado de blasfemias.* (Ib. 27.)

Mane autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores populi adversùs Jesum, ut eum morti traderent.

Et vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato præsidi.

Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, et senioribus,

Dicens: Peccavi, tradens sanguinem justum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris.

Et projectis argenteis in templo, recessit: et abiens laqueo se suspendit.

Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam [47], quia pretium sanguinis est.

Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum.

Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama [48], hoc est, ager sanguinis, usque in hodiernum diem.

Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt à filiis Israel:

Et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.

Jesus autem stetit ante præsidem, et interrogavit eum præses, dicens: Tu ex Rex Judæorum? Dicit illi Jesus: Tu dicis.

Et cùm accusaretur à principibus sacerdotum, et senioribus, nihil respondit.

Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta adversùm te dicunt testimonia?

Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præses vehementer.

Per diem autem solemnem consueverat præses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent.

Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas.

Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Jesum, qui dicitur Christus?

Sciebat enim quòd per invidiam tradidissent eum.

Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi, et justo illi; multa enim passa sum hodie per visum propter eum.

Principes autem sacerdotum, et seniores, persuaserunt populis ut peterent Barabbam, Jesum verò perderent.

Respondens autem præses, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barabbam.

Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus?

Dicunt omnes: Crucifigatur. Ait illis præses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur.

Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, acceptâ aquâ, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine justi hujus: vos videritis.

Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.

47 *Corbonam*; voz hebrea que significa *arca* ó *erario* del templo.

48 *Haceldama*; voz compuesta de dos siriacas, que equivalen á *campo de sangre*, es decir, comprado con el precio á que el Redentor fue vendido.

Tunc dimisit illis Barabbam; Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur.

Tunc milites præsidis suscipientes Jesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem:

Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei;

Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave, rex Judæorum.

Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus.

Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, et induerunt eum vestimentis ejus, et duxerunt eum ut crucifigerent.

Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus.

Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus.

Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cùm gustasset, noluit bibere.

Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes: ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Et sedentes servabant eum.

Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam: Hic est Jesus Rex Judæorum.

Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones; unus à dextris, et unus à sinistris.

Prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua,

Et dicentes: Vah qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas: salva temetipsum: si Filius Dei es, descende de cruce.

Similiter et principes sacerdotum illudentes cum Scribis et senioribus dicebant:

Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei:

Confidit in Deo: liberet nunc, si vult eum; dixit enim: Quia Filius Dei sum.

Idipsum autem et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.

A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam.

Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magnâ, dicens: Eli, Eli, lamma sabacthani? [49] hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

49 Estas palabras son enteramente hebreas.

Quidam autem illic stantes et audientes, dicebant: Eliam vocat iste.

Et continuò currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere.

Ceteri verò dicebant: Sine, videamus an veniat Elias liberans eum.

Jesus autem iterum clamans voce magnâ, emisit spiritum.

30. *Prodigios que acaecieron en la muerte del Salvador.—Sepultura de Jesus: sellan los judios y hacen custodiar su sepulcro.*

Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo usque deorsum, et terra mota est, et petræ scissæ sunt,

Et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.

Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis.

Centurio autem, et qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræ motu et his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Verè Filius Dei erat iste.

Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ secutæ erant Jesum à Galilæa, ministrantes ei:

Inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi et Joseph mater, et mater filiorum Zebedæi.

Cùm autem serò factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Joseph, qui et ipse discipulus erat Jesu:

Hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus.

Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda.

Et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit.

Erat autem ibi Maria Magdalene, et altera Maria, sedentes contra sepulcrum.

Alterà autem die, quæ est post Parascevem, convenerunt principes sacerdotum et Pharisæi ad Pilatum,

Dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam.

Jube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium, ne fortè veniant discipuli ejus, et furentur eum, et dicant plebi: Surrexit à mortuis: et erit novissimus error pejor priore.

Ait illis Pilatus: Habetis custodiam; ite, custodite sicut scitis.

Illi autem abeuntes, munierunt sepulcrum, signantes lapidem, cum custodibus.

40. *Resucita Jesus.—Su aparicion á las santas mugeres. — Muéstrase á los apóstoles y les promete su proteccion.*

Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, et altera Maria, videre sepulcrum.

Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum:

Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, et vestimentum ejus sicut nix.

Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui.

Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos; scio enim, quòd Jesum, qui crucifixus est, quæritis:

Non est hic: surrexit enim, sicut dixit: venite, et videte locum, ubi positus erat Dominus.

Et citò euntes dicite discipulis ejus quia surrexit: et ecce præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis, ecce prædixi vobis.

Et exierunt citò de monumento cum timore, et gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus.

Et ecce Jesus ocurrit illis, dicens: Avete. Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum.

Tunc ait illis Jesus: Nolite timere: ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam; ibi me videbunt.

Quæ cùm abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, et nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant.

Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus:

Dicentes: Dicite: Quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus:

Et si hoc auditum fuerit à præside, nos suadebimus ei, et securos vos faciemus.

At illi, acceptâ pecuniâ, fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judæos, usque in hodiernum diem.

Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem, ubi constituerat illis Jesus.

Et videntes eum, adoraverunt; quidam autem dubitaverunt.

Et accedens Jesus, locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra.

Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti:

Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.

APPENDIX.

44. *Promesa del Espíritu Santo. — Ascension del Señor á los cielos.* (Act. Apost. 1 0.)

Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere

Usque in diem, quâ præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est:

Quibus et præbuit se ipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei.

Et convescens, præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum:

Quia Joannes quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.

Igitur qui convenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?

Dixit autem eis: Non est vestrûm nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate:

Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritûs sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ.

Et cùm hæc dixisset, videntibus illis, elevatus est: et nubes suscepit eum ab oculis eorum.

Cùmque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis,

Qui et dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? hic Jesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.

Tunc reversi sunt Jerosolymam, à monte, qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerusalem, sabbati habens iter.

Et cùm introissent in cœnaculum, ascenderunt ubi manebant Petrus et Joannes, Jacobus et Andreas, Philippus et Thomas, Bartholomæus et Matthæus, Jacobus Alphæi, et Simon Zelotes, et Judas Jacobi.

Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus ejus.

42. *Venida del Espíritu Santo.—Vida de los primeros fieles.* (Ib. 2.)

Et cùm complerentur dies Pentecostes [50], erant omnes pariter in eodem loco;

Et factus est repentè de cœlo sonus, tamquam advenientis spiritûs vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes.

Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum:

Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.

Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi ex omni natione, quæ sub cœlo est.

Factâ autem hac voce, convenit multitudo, et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque linguâ suâ illos loquentes.

Stupebant autem omnes, et mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt?

Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in quâ nati sumus?

Parthi, et Medi, et Ælamitæ, et qui habitant Mesopotamiam, Judæam, et Cappadociam, Pontum, et Asiam,

Phrygiam, et Pamphyliam, Ægyptum, et partes Libyæ, quæ est circa Cyrenen, et advenæ Romani,

Judæi quoque, et Proselyti, Cretes, et Arabes: audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.

Stupebant autem omnes, et mirabantur ad invicem, dicentes: Quidnam vult hoc esse?

Alii autem irridentes dicebant: Quia musto pleni sunt isti.

Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus.

Fiebat autem omni animæ timor: multa quoque prodigia et signa per Apostolos in Jerusalem fiebant, et metus erat magnus in universis.

Omnes etiam qui credebant, erant pariter, et habebant omnia communia.

Possessiones et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.

Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis,

50 *Dies Pentecostes*, llamado *dia de la ley* por los judíos por haberla recibido en el Sinay en dia semejante.

Collaudantes Deum, et habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat qui salvi fierent quotidie in idipsum.

43. *Eleccion de los siete diáconos.—Esteban se señala entre ellos.—Su martirio.* (Ib. 6.)

In diebus autem illis, crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversùs Hebræos, eo quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum.

Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis.

Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto et sapientiâ, quos constituamus super hoc opus.

Nos verò orationi, et ministerio verbi instantes erimus.

Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide, et Spiritu Sancto, et Philippum, et Prochorum, et Nicanorem, et Timonem, et Parmenam, et Nicolaum advenam Antiochenum.

Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum: et orantes imposuerunt eis manus.

Et verbum Domini crescebat, et multiplicabatur numerus discipulorum in Jerusalem valde: multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei.

Stephanus autem plenus gratiâ et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo.

Surrexerunt autem quidam de synagoga, quæ appellatur Libertinorum [51], et Cyrenensium, et Alexandrinorum, et eorum qui erant à Cilicia et Asia, disputantes cum Stephano:

Et non poterant resistere sapientiæ, et Spiritui, qui loquebatur.

Tunc summiserunt viros, qui dicerent se audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen, et in Deum.

Commoverunt itaque plebem, et seniores, et Scribas: et concurrentes rapuerunt eum, et adduxerunt in concilium,

Et statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba adversùs locum sanctum, et legem.

Audivimus enim eum dicentem: Quoniam Jesus Nazarenus hic, destruet locum istum, et mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses.

51 *Libertinorum*, libertinos: así se llamaban los judíos que Pompeyo habia llevado cautivos de la Palestina.

Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus tamquam faciem Angeli.

Dixit autem princeps sacerdotum: Si hæc ita se habent?

Qui ait: Viri fratres, et patres, audite: Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ cùm esset in Mesopotamia, priùs quàm moraretur in Charan,

Et dixit ad illum: Exi de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram, quam monstravero tibi.

Tunc exiit de terra Chaldeorum, et habitabit in Charan. Et inde, postquam mortuus est pater ejus, transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis.

Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec passum pedis: sed repromisit dare illi eam in possessionem, et semini ejus post ipsum, cùm non haberet filium.

Locutus est autem ei Deus: Quia erit semen ejus accola in terra aliena, et servituti eos subjicient, et malè tractabunt eos annis quadringentis:

Et gentem, cui servierint judicabo ego, dixit Dominus. Et post hæc exibunt, et servient mihi in loco isto.

Et dedit illi testamentum circumcisionis: et sic genuit Isaac, et circumcidit eum die octavo: et Isaac, Jacob: et Jacob, duodecim Patriarchas.

Et Patriarchæ æmulantes, Joseph vendiderunt in Ægyptum. Et erat Deus cum eo:

Et eripuit eum ex omnibus tribulationibus ejus: et dedit ei gratiam et sapientiam in conspectu Pharaonis regis Ægypti, et constituit eum præpositum super Ægyptum, et super omnem domum suam.

Venit autem fames in universam Ægyptum et Chanaan, et tribulatio magna: et non inveniebant cibos patres nostri.

Cùm audisset autem Jacob esse frumentum in Ægypto, misit patres nostros primùm:

Et in secundo cognitus est Joseph à fratribus suis, et manifestatum est Pharaoni genus ejus.

Mittens autem Joseph accersivit Jacob patrem suum, et omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinque.

Et descendit Jacob in Ægyptum, et defunctus est ipse, et patres nostri.

Et translati sunt in Sichem, et positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti à filiis Hemor filii Sichem.

Cùm autem appropinquaret tempus promissionis, quam confessus erat Deus Abrahæ, crevit populus, et multiplicatus est in Ægypto,

Quoadusque surrrexit alius rex in Ægypto, qui non sciebat Joseph.

Hic circumveniens genus nostrum, afflixit patres nostros, ut exponerent infantes suos, ne vivificarentur.

Eodem tempore natus est Moyses, et fuit gratus Deo, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui.

Exposito autem illo, sustulit eum filia Pharaonis, et nutrivit eum sibi in filium.

Et eruditus est Moyses omni sapientiâ Ægyptiorum, et erat potens in verbis et in operibus suis.

Cùm autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor ejus ut visitaret fratres suos filios Israel.

Et cùm vidisset quemdam injuriam patientem, vindicavit illum: et fecit ultionem ei qui injuriam sustinebat, percusso Ægyptio.

Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis: at illi non intellexerunt.

Sequenti verò die apparuit illis litigantibus: et reconciliabat eos in pace, dicens: Viri: fratres estis, ut quid nocetis alterutrum?

Qui autem injuriam faciebat proximo, repulit eum, dicens: Quis te constituit principem et judicem super nos?

Numquid interficere me tu vis, quemadmodum interfecisti heri Ægyptium?

Fugit autem Moyses in verbo isto: et factus est advena in terra Madian, ubi generavit filios duos.

Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi.

Moyses autem videns, admiratus est visum, et accedente illo ut consideraret, facta est ad eum vox Domini, dicens:

Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. Tremefactus autem Moyses, non audebat considerare.

Dixit autem illi Dominus: Solve calceamentum pedum tuorum: locus enim in quo stas, terra sancta est.

Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægipto, et gemitum eorum audivi, et descendi liberare eos. Et nunc veni, et mittam te in Ægyptum.

Hunc Moysem, quem negaverunt, dicentes: Quis te constituit principem et judicem? hunc Deus principem et redemptorem misit, cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo.

Hic eduxit illos, faciens prodigia et signa in terra Ægypti, et in rubro mari, et in deserto annis quadraginta.

Hic est Moyses, qui dixit filiis Israel: Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tamquam me; ipsum audietis.

Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, et cum patribus nostris: qui accepit verba vitæ dare nobis.

Cui noluerunt obedire patres nostri; sed repulerunt, et aversi sunt cordibus suis in Ægyptum,

Dicentes ad Aaron: Fac nobis deos, qui præcedant nos: Moyses enim hic, qui eduxit nos de terra Ægypti, nescimus quid factum sit ei.

Et vitulum fecerunt in diebus illis, et obtulerunt hostiam simulacro, et lætabantur in operibus manuum suarum.

Convertit autem Deus, et tradidit eos servire militiæ cœ'i, sicut scriptum est in Libro Prophetarum: Numquid victimas et hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israel?

Et suscepistis tabernaculum Moloch, et sidus Dei vestri Rempham [52] figuras, quas fecistis, adorare eas. Et transferam vos trans Babylonem.

Tabernaculum testimonii fuit cum patribus nostris in deserto, sicut disposuit illis Deus, loquens ad Moysen, ut faceret illud secundùm formam quam viderat.

Quod et induxerunt, suscipientes patres nostri cum Jesu in possessionem Gentium, quas expulit Deus à facie patrum nostrorum, usque in diebus David,

Qui invenit gratiam ante Deum, et petiit ut inveniret tabernaculum Deo Jacob.

Salomon autem ædificavit illi domum.

Sed non Excelsus in manufactis habitat, sicut Propheta dicit:

Cœlum mihi sedes est: terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus? aut quis locus requietionis meæ est?

Nonne manus mea fecit hæc omnia?

Durâ cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis: sicut patres vestri, ita et vos.

Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis:

Qui accepistis legem in dispositione Angelorum, et non custodistis.

Audientes autem hæc dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum.

Cùm autem esset plenus Spiritu sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, et Jesum stantem à dextris Dei, et ait: Ecce video cœlos apertos, et Filium hominis stantem à dextris Dei.

52 *Rempham*: ignórase quién sea; algunos sospechan que Saturno.

Exclamantes autem voce magnâ continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum.

Et ejicientes eum extra civitatem lapidabant: et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus.

Et lapidabant Stephanum invocantem, et dicentem: Domine Jesu, suscipe spiritum meum.

Positis autem genibus, clamavit voce magnâ, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixisset, obdormivit in Domino. Saulus autem erat consentiens neci ejus.

44. *Saulo persigue á la Iglesia.—Pecado cometido por Simon Mago.* (Ib. 8.)

Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Jerosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ præter Apostolos.

Curaverunt autem Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum.

Saulus autem devastabat Ecclesiam per domos intrans, et trahens viros ac mulieres, tradebat in custodiam.

Igitur qui dispersi erant pertransibant, evangelizantes verbum Dei.

Philippus autem descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum.

Intendebant autem turbæ his, quæ à Philippo dicebantur, unanimiter audientes, et videntes signa quæ faciebat.

Multi enim eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magnâ exibant.

Multi autem paralytici et claudi curati sunt.

Factum est ergo gaudium magnum in illa civitate. Vir autem quidam nomine Simon, qui antè fuerat in civitate magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum:

Cui auscultabant omnes à minimo usque ad maximum, dicentes: Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna.

Attendebant autem eum: propter quod multo tempore magis suis dementasset eos.

Cùm verò credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres.

Tunc Simon et ipse credidit: et cùm baptizatus esset, adhærebat Philippo. Videns etiam signa et virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.

Cùm autem audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quòd recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem.

Qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum:

Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jesu.

Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.

Cùm vidisset autem Simon quia per impositionem manûs Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam,

Dicens: Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum:

Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri.

Non est tibi pars, neque sors in sermone isto. Cor enim tuum non est rectum coram Deo.

Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua: et roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.

In felle enim amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse.

Respondens autem Simon, dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum, quæ dixistis.

Et illi quidem testificati et locuti verbum Domini, redibant Jerosolymam, et multis regionibus Samaritanorum evangelizabant.

45. *Conversion de Saulo.— Predica en Damasco; va á Jerusalen, y Bernabé le presenta á los Apóstoles.* (Hb. 9.)

Saulus autem adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini, accessit ad Principem sacerdotum.

Et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas: ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem.

Et cùm iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco: et subitò circumfulsit eum lux de cœlo.

Et cadens in terram audivit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris?

Qui dixit: Quis es, Domine? Et ille: Ego sum Jesus, quem tu persequeris. Durum es tibi contra stimulum calcitrare.

Et tremens ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere?

Et Dominus ad eum: Surge, et ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.

Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum.

Et erat ibi tribus diebus non videns, et non manducavit, neque bibit.

Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias: et dixit ad illum in visu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego, Domine.

Et Dominus ad eum: Surge, et vade in vicum, qui vocatur rectus:

et quære in domo Judæ Saulum nomine Tarsensem: ecce enim orat.

(Et vidit virum Ananiam nomine, introeuntem, et imponentem sibi manus ut visum recipiat.)

Respondit autem Ananias: Domine, audivi à multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Jerusalem:

Et hic habet potestatem à principibus sacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum.

Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel.

Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.

Et abiit Ananias, et introivit in domum: et imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via quâ veniebas, ut videas, et implearis Spiritu sancto.

Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tamquam squamæ, et visum recepit: et surgens baptizatus est.

Et cùm accepisset cibum, confortatus est. Fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot.

Et continuò in synagogis prædicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei.

Stupebant autem omnes qui audiebant, et dicebant: Nonne hic est, qui expugnabat in Jerusalem eos, qui invocabant nomen istud: et huc ad hoc venit, ut vinctos illos duceret ad principes sacerdotum?

Saulus autem multò magis convalescebat, et confundebat Judæos, qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus.

Cùm autem implerentur dies multi, consilium fecerunt in unum Judæi ut eum interficerent.

Notæ autem factæ sunt Saulo insidiæ eorum. Custodiebant autem et portas die ac nocte, ut eum interficerent.

Accipientes autem eum discipuli nocte, per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta.

Cùm autem venisset in Jerusalem, tentabat se jungere discipulis, et omnes timebant eum, non credentes quòd esset discipulus.

Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos: et narravit illis quomodo in via vidisset Dominum, et quia locutus est ei, et quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Jesu.

Et erat cum illis intrans et exiens in Jerusalem, et fiducialiter agens in nomine Domini.

Loquebatur quoque Gentibus, et disputabat cum Græcis: illi autem quærebant occidere eum.

Quod cùm cognovissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, et dimiserunt Tarsum.

Ecclesia quidem per totam Judæam, et Galilæam, et Samariam, ha-

bebat pacem, et ædificabatur ambulans in timore Domini, et consolatione sancti Spiritûs replebatur.

46. *Martirio de Santiago.—Prision de San Pedro.—Su libertad milagrosa.* (Ib. 12.)

Eodem autem tempore misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia.

Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio.

Videns autem quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet et Petrum. Erant autem dies Azymorum.

Quem cùm apprehendisset, misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post Pascha producere eum populo.

Et Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.

Cùm autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus; et custodes ante ostium custodiebant carcerem.

Et ecce Angelus Domini astitit: et lumen refulsit in habitaculo: percussoque latere Petri, excitavit eum dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus.

Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, et calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: Circumda tibi vestimentum tuum, et sequere me.

Et exiens sequebatur eum, et nesciebat quia verum est quod fiebat per Angelum: existimabat autem se visum videre.

Transeuntes autem primam et secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem: quæ ultrò aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum unum: et continuò discessit Angelus ab eo.

Et Petrus ad se reversus, dixit: Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni expectatione plebis Judæorum.

Consideransque venit ad domum Mariæ matris Joannis, qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati et orantes.

Pulsante autem eo ostium januæ, processit puella ad audiendum, nomine Rhode.

Et ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit januam, sed intrò currens nunciavit stare Petrum ante januam.

At illi dixerunt ad eam: Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere. Illi autem dicebant: Angelus ejus est.

Petrus autem perseverabat pulsans. Cùm autem aperuissent, viderunt eum, et obstupuerunt.

Annuens autem eis manu ut tacerent, narravit quomodo Dominus

eduxisset eum de carcere, dixitque: Nunciate Jacobo et fratribus hæc. Et egressus abiit in alium locum.

47. *Concilio de Jerusalem.* (Ib. 15.)

Et quidam descendentes de Judæa, docebant fratres: Quia nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non potestis salvari.

Factâ ergo seditione non minimâ Paulo et Barnabæ adversùs illos, statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas, et quidam alii ex aliis, ad Apostolos et presbyteros in Jerusalem, super hac quæstione.

Illi ergo deducti ab Ecclesia, pertransibant Phœnicen et Samariam, narrantes conversionem Gentium: et faciebant gaudium magnum omnibus fratribus.

Cùm autem venissent Jerosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia, et ab Apostolis, et senioribus, annunciantes quanta Deus fecisset cum illis.

Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysi.

Convenerunt que Apostoli et seniores videre de verbo hoc.

Cùm autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Evangelii, et credere.

Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut et nobis,

Et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum.

Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?

Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi.

Tacuit autem omnis multitudo: et audiebant Barnabam et Paulum, narrantes quanta Deus fecisset signa et prodigia in Gentibus per eos.

Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus, dicens: Viri fratres, audite me.

Simon narravit quemadmodum primùm Deus visitavit sumere ex Gentibus populum nomini suo.

Et huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est:

Post hæc revertar, et reædificabo tabernaculum David, quod decidit: et diruta ejus reædificabo, et erigam illud:

Ut requirant cæterí hominum Dominum, et omnes gentes, super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc.

Notum à sæculo est Domino opus suum.

Propter quod ego judico non inquietari eos qui ex Gentibus convertuntur ad Deum,

Sed scribere ad eos ut abstineant se à contaminationibus simulachrorum, et fornicatione, et suffocatis, et sanguine.

Moyses enim à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.

Tunc placuit Apostolis, et senioribus cum omni Ecclesia, eligere viros ex eis, et mittere Antiochiam cum Paulo et Barnaba, Judam, qui cognominabatur Barsabas, et Silam, viros primos in fratribus,

Scribentes per manus eorum: Apostoli, et seniores fratres, his, qui sunt Antiochiæ, et Syriæ, et Ciliciæ, fratribus ex Gentibus, salutem.

Quoniam audivimus quia quidam ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus:

Placuit nobis collectis in unum, eligere viros, et mittere ad vos cum charissimis nostris Barnaba et Paulo,

Hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi.

Misimus ergo Judam et Silam, qui et ipsi vobis verbis referent eadem.

Visum est enim Spiritui sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quàm hæc necessaria:

Ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione, à quibus custodientes vos, bene agetis. Valete.

48. *Predicacion de San Pablo en Atenas con los filósofos.—Conversion de Dionisio Areopagita.* (Ib. 17.)

Paulus autem, cùm Athenis eos expectaret, incitabatur spiritus ejus in ipso, videns idolatriæ deditam civitatem.

Disputabat igitur in synagoga cum Judæis, et colentibus, et in foro, per omnes dies, ad eos qui aderant.

Quidam autem Epicurei, et Stoici philosophi disserebant cum eo, et quidam dicebant: Quid vult feminiverbius hic, dicere? Alii verò: Novorum dæmoniorum videtur annuntiator esse: quia Jesum et resurrectionem annuntiabat eis.

Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes: Possumus scire quæ est hæc nova, quæ à te dicitur, doctrina?

Nova enim quædam infers auribus nostris: Volumus ergo scire quidnam velint hæc esse.

(Athenienses autem omnes, et advenæ hospites, ad nihil aliud vacabant nisi aut dicere, aut audire aliquid novi.)

Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video.

Præteriens enim, et videns simulachra vestra, inveni et aram, in

qua scriptum erat: Ignoto deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.

Deus, qui fecit mundum, et omnia quæ in eo sunt, hic cœli et terræ cùm sit Dominus, non in manufactis templis habitat,

Nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cùm ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia:

Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, et terminos habitationis eorum,

Quærere Deum, si fortè attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longè sit ab unoquoque nostrum.

In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus: sicut et quidam vestrorum Poetarum dixerunt: Ipsius enim et genus sumus.

Genus ergo cùm simus Dei, non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis et cogitationis hominis, Divinum esse simile.

Et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant.

Eo quòd statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.

Cùm audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum.

Sic Paulus exivit de medio eorum.

Quidam verò viri adhærentes ei, crediderunt: in quibus et Dionysius Areopagita, et mulier nomine Damaris, et alii cum eis.

49. *Apología de San Pablo.— Saña de los Judíos obstinados contra el mismo.— Declárase ciudadano romano al intentar azotarle el tribuno.* (Ib. 22.)

Viri fratres, et patres, audite quam ad vos nunc reddo rationem.

Cùm audissent autem quia Hebræâ linguâ loqueretur ad illos, magis præstiterunt silentium.

Et dicit: Ego sum vir Judæus, natus in Tarso Ciliciæ, nutritus autem in ista civitate, secus pedes Gamaliel eruditus juxta veritatem paternæ legis, æmulator legis, sicut et vos omnes estis hodie:

Qui hanc viam persecutus sum usque ad mortem, alligans et tradens in custodias viros ac mulieres,

Sicut princeps sacerdotum mihi testimonium reddit, et omnes majores natu, à quibus et epistolas accipiens, ad fratres Damascum pergebam, ut adducerem inde vinctos in Jerusalem ut punirentur.

Factum est autem, eunte me, et appropinquante Damasco mediâ die, subitò de cœlo circumfulsit me lux copiosa:

Et decidens in terram, audivi vocem dicentem mihi: Saule, Saule, quid me persequeris?

Ego autem respondi: Quis es, Domine? Dixitque ad me: Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris.

Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt ejus qui loquebatur mecum.

Et dixi: Quid faciam, Domine? Dominus autem dixit ad me: Surgens vade Damascum: et ibi tibi dicetur de omnibus quæ te oporteat facere.

Et cùm non viderem præ claritate luminis illius, ad manum deductus à comitibus, veni Damascum.

Ananias autem quidam, vir secundùm legem testimonium habens ab omnibus cohabitantibus Judæis,

Veniens ad me, et astans dixit mihi: Saule, frater, respice. Et ego eâdem horâ respexi in eum.

At ille dixit: Deus patrum nostrorum præordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus, et videres Justum, et audires vocem ex ore ejus:

Quia eris testis illius ad omnes homines, eorum quæ vidisti et audisti.

Et nunc quid moraris? Exurge, et baptizare, et ablue peccata tua, invocato nomine ipsius.

Factum est autem revertenti mihi in Jerusalem, et oranti in templo, fieri me in stupore mentis,

Et videre illum dicentem mihi: Festina, et exi velociter ex Jerusalem: quoniam non recipient testimonium tuum de me.

Et ego dixi: Domine, ipsi sciunt quia ego eram concludens in carcerem, et cædens per synagogas eos qui credebant in te:

Et cùm funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam, et consentiebam, et custodiebam vestimenta interficientium illum.

Et dixit ad me: Vade: quoniam ego in nationes longè mittam te.

Audiebant autem eum usque ad hoc verbum, et levaverunt vocem suam, dicentes: Tolle de terra hujusmodi: non enim fas est eum vivere.

Vociferantibus autem eis, et projicientibus vestimenta sua, et pulverem jactantibus in aërem,

Jussit tribunus induci eum in castra, et flagellis cædi, et torqueri eum: ut sciret propter quam causam sic acclamarent ei.

Et cùm astrinxissent eum loris, dicit astanti sibi Centurioni Paulus: Si hominem Romanum, et indemnatum licet vobis flagellare?

Quo audito, Centurio accessit ad tribunum, et nunciavit ei, dicens: Quid acturus es? hic enim homo civis Romanus es.

Accedens autem tribunus, dixit illi: Dic mihi si tu Romanus es? At ille dixit: Etiam.

Et respondit tribunus: Ego multâ summâ civilitatem hanc consecutus sum. Et Paulus ait: Ego autem et natus sum.

Protinus ergo discesserunt ab illo, qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit, postquam rescivit quia civis Romanus esset, et quia alligasset eum.

Posterâ autem die volens scire diligentiùs, qua ex causa accusaretur à Judæis, solvit eum, et jussit sacerdotes convenire et omne concilium, et producens Paulum, statuit inter illos.

50. *Demuestra San Pablo en su epistola á los romanos que sin la fé de Jesu-Cristo nadie puede salvarse.—Por eso es predicada en todo el mundo.—Los gentiles la abrazan, mientras que los judíos permanecen en su incredulidad.* (Ep. PAUL. 19.)

Fratres, voluntas quidem cordis mei, et obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem.

Testimonium enim perhibeo illis, quòd æmulationem Dei habent, sed non secundùm scientiam.

Ignorantes enim justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.

Finis enim legis, Christus, ad justitiam omni credenti.

Moyses enim scripsit, quoniam justitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea.

Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendit in cœlum? id est, Christum deducere:

Aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum à mortuis revocare.

Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo: hoc est verbum fidei quod prædicamus.

Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris.

Corde enim creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem.

Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur.

Non enim est distinctio Judæi et Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.

Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.

Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?

Quomodo verò prædicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est: Quàm speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!

Sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro?

Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.

Sed dico: Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.

Sed dico: Numquid Israel non cognovit? Primus Moyses dicit: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem insipientem, in iram vos mittam.

Isaias autem audet, et dicit: Inventus sum à non quærentibus me: palàm apparui iis qui me non interrogabant.

Ad Israel autem dicit: Totà die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem.

51. *Da el Apóstol reglas de perfeccion á los fieles conforme al estado de cada uno. — Siendo todos miembros de un mismo cuerpo, todos debemos trabajar en favor de la Iglesia y amarnos mútuamente.* (Ib. 12.)

Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.

Et nolite conformari huic seculo, sed reformamini in novitate sensûs vestri: ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.

Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos: Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.

Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent:

Ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra:

Habentes autem donationes, secundùm gratiam quæ data est nobis, differentes: sive prophetiam secundùm rationem fidei,

Sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina,

Qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in solicitudine, qui miseretur in hilaritate.

Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhærentes bono:

Charitate fraternitatis invicem diligentes: Honore invicem prævenientes:

Solicitudine non pigri: Spiritu ferventes: Domino servientes:

Spe gaudentes: In tribulatione patientes: Orationi instantes:

Necessitatibus sanctorum communicantes: Hospitalitatem sectantes.

Benedicite persequentibus vos: benedicite, et nolite maledicere.

Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus:

Idipsum invicem sentientes: Non alta sapientes, sed humilibus consentientes: Nolite esse prudentes apud vosmet ipsos:

Nulli malum pro malo reddentes: providentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.

Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.

Non vosmet ipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindicta; ego retribuam, dicit Dominus.

Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus.

Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.

FINIS.

EPITOME

HISTORIÆ GRÆCÆ.

1. *Antigüedad de los griegos.—La Grecia es conquistada por una colonia egipcia.*

Origo Græcorum est antiqua et nobilis.

Anno circiter millesimo noningentesimo nonagesimo post orbem conditum, colonia ægyptiaca occupavit Græciam.

Saturnus et Jupiter habentur duces [1] illius coloniæ.

Deindè novi advenæ collocavêre sedem in hâc regione.

Primùm aliquot oppida ab illis constituta fuerunt.

Indè Athenæ, Argos, Sparta, Thebæ suam duxerunt originem.

Civitates illæ fuerunt celeberrimæ; Athenæ verò inter ceteras eminuerunt.

2. *Atenas es gobernada desde su origen por reyes.*

Athenæ primum regem habuêre Cecropem, qui credebatur instituisse matrimonium.

Huic successit Cranaus, cujus filia, nomine Athis [2], nomen dedit regioni.

Post hunc Amphictyon regnavit.

Qui primus sacravit urbem Minervæ, et nomen Athenas [3] dedit civitati.

Dùm ille regnaret, illuvies aquarum absumsit ferè omnes incolas Græciæ.

1 *Duces*, capitanes, y literalmente *conductores*, de *ducere*; las colonias eran conducidas desde la madre patria á otros paises.

2 *Athis*, de donde se formó la palabra Attica.

3 Uno de los nombres dados á Minerva.

Amphictyone mortuo, regnum Erechtheo obtigit, tuncque satio [4] frumenti reperta est apud Eleusin à Triptolemo.

Ægeus, Thesei pater, tenuit quoque regnum Athenis.

Post Ægeum Theseus, et deinceps filius Thesei Demophoon, potiti sunt imperio.

3. *Codro, rey de Atenas. — Su abnegacion patriótica.*

Illis temporibus, bellum grave exortum est inter Athenienses et Dorienses.

Ii consuluerunt oracula de eventu prælii.

Responsum est ipsos fore superiores, nisi [5] regem Atheniensium occiderent.

Quo audito, priusquàm pugna committeretur, præceperunt imprimis militibus, ne regem Atheniensium occiderent.

Tunc Codrus Atheniensibus [6] rex erat.

Qui responsum oraculi et præcepta [7] hostium cognovit.

Ille igitur vestem regiam exuit, pannosusque [8] in castra hostium ingreditur.

Brevì interficitur ibi à milite quem falce astu convulneraverat.

Dorienses autem, regis morte cognitâ, discesserunt sine prælio.

Atque ita Athenienses à generoso [9] duce bello liberati fuerunt.

4. *Cambio del gobierno de Atenas. — Solon.*

Post Codrum nemo Athenis regnavit.

Administratio reipublicæ annuis [10] magistratibus permissa fuit.

Sed nullæ tunc leges erant civitati.

Livido enim regum pro legibus habebatur.

His autem temporibus, vir, nomine Solon, justitiâ florebat: electus est igitur ut civitatem legibus conderet [11].

4 *Satio*, el arte de sembrar.

5 *Nisi* equivalente de *si no*.

6 *Atheniensibus*, caso de atribucion, tiene el mismo sentido que si fuera el genitivo *Atheniensium*.

7 *Præcepta*, avisos; es como si dijera *ea quæ præcepta fuerant hostibus*.

8 *Pannosus*, adjetivo derivado de *pannus*, andrajo.

9 *Generoso*, literalmente *el que es de buena raza*; el que tiene sentimientos nobles, generosos.

10 *Annuis*, que cada año estaban sometidos á eleccion.

11 *Conderet*, fundase, estatuyese.

Ille sic egit cum plebe et senatu, ut utrique placuerit.

Quidqui enim instituisset pro altero ordine, alteri displicuisset.

Egregiis hujus viri institutis diù floruit Atheniensium respublica.

5. *Ley de Atenas respecto á la isla de Salamina.*

Inter multa ab illo egregiè facta, illud memorabile fuit.

Bellum motum fuerat inter Athenienses et Megarenses, de proprietate Salaminæ insulæ.

Eâ de re armis decertaverant usque ad interitum [12].

Post multas clades, Athenienses hoc decretum sanxerant: *Si quis legem de Salaminâ insulâ tulerit, capitali pœnâ afficitor.*

Solon autem censebat hanc insulam armis esse recipiendam.

Verùm timebat Atheniensium invidiam, si sententiam proferret [13].

Verebatur quoque, ne tacendo parùm reipublicæ consuleret.

6. *Conducta de Solon en esta circunstancia.*

Subitam igitur dementiam Solon simulavit, ut posset non modò dicere, sed etiam facere prohibita.

Deindè, more vecordium, in forum properavit.

Facto tunc omnium concursu, insolitos sibi versus cœpit canere, consilii dissimulandi causâ.

Deindè sensim suasit populo id quod vetabatur, brevìque movit omnium animos.

Extemplo itaque bellum adversùs Megarenses decretum fuit.

Mox devicti sunt hostes, et insula Salamina Atheniensium facta est [14].

7. *Apodérase Pisístrato del gobierno.*

Pisistratus, dux Atheniensium, profligatis iterùm Megarensibus, tyrannidem occupare per [15] dolum statuit.

Voluntariis vulneribus lacerat corpus domi [16], et in publicum progreditur.

Advocatâ concione, vulnera populo ostendit.

12 *Usque ad interitum*, se habian hecho la guerra hasta el exterminio.

13 *Si sententiam (suam) proferret*, si exponia antes su opinion.

14 *Atheniensium facta est*, vino á ser propiedad de los atenienses. *Atheniensium*, gen., caso de posesion.

15 *Per*, por medio de.

16 *Domi*, en su casa.

De crudelitate principum [17] queritur; verbis addit lacrymas, et invidiosâ oratione multitudinem credulam accendit.

Affirmat se esse invisum senatui, ob amorem plebis [18].

Obtinet igitur ad custodiam corporis sui satellites.

Deniquè, sic occupatâ tyrannide, per tres et triginta annos regnavit.

8. *Fin de la tiranía.*

Post mortem Pisistrati, Diocles, alter [19] ex ejus filiis, imperium paternum tenuit.

At brevì ob scelus infandum interfectus est.

Alter filius, Hippias nomine, summam in cives crudelitatem exercuit.

Tunc civitas, servitutis pertæsa, pristinam libertatem recuperare statuit.

Pulsus itaque regno Hippias, in exsilium actus est.

Qui, profectus in [20] Persas, aulam Darii regis petit.

Ille princeps Atheniensibus modò [21] bellum denuntiaverat.

Hippias igitur se belli ducem Dario adversùs patriam suam obtulit.

9. *Batalla de Maraton.*

Ubi Athenienses audierunt Darii adventum, brevi tempore contraxerunt [22] exercitum.

Cum decem millibus civium et Platæensibus mille auxiliaribus, adversùs sexcenta millia hostium processerunt.

In campis Marathoniis, Miltiade duce, castra [23] castris Persarum contulerunt.

Magna cunctibus in pugnam alacritas animorum fuit, nec eventus audaciæ defuit [24].

Victi Persæ in naves confugerunt, ex quibus multæ suppressæ, multæ captæ sunt.

17 *Principum*, de los primeros ciudadanos, de los magnates.

18 *Amorem plebis*, no el amor del pueblo, sino (su) amor (hácia) el pueblo.

19 *Alter*, se emplea solamente hablando de dos individuos: Pisístrato solo tenia en efecto dos hijos, Diocles é Hippias.

20 *In*, hácia; está empleado aquí por *ad*.

21 *Modò*, últimamente, recientemente.

22 *Contraxerunt*, literalmente *estrecharon*, *apretaron*, porque para juntar un ejército se reunen diversos cuerpos de tropas en un mismo punto.

23 *Castra*, *orum*, plural neut.

24 *Nec eventus*, *audaciæ defuit*, y el éxito segundó (*su*) audacia.

In eo prælio virtus singulorum apparuit; inter ceteros tamen Themistocles adolescens laude singulari eminuit.

10. *Rasgo de valor de un soldado ateniense.—Pérdida de los enemigos.—Muerte de Hippias.*

Cynægiri quoque, militis atheniensis, gloria magnis laudibus celebrata est.

Ille enim, quùm fugientes hostes ad naves [25] egisset, unam ex eorum navibus dexterâ manu tenuit, nec priùs dimisit, quàm manum amitteret.

Tùm quoque, amputatâ dextrâ, navem sinistrâ comprehendit.

Quam etiam quùm amisisset, postremùm morsu navem detinuit, sicque truncus dentibus dimicavit.

Ducenta millia Persarum eo prælio, vel ferro vel naufragio interierunt.

Cecidit et Hippias, tyrannus atheniensis, auctor et concitor ejus nefarii belli; hasque dii patriæ ultores pœnas ab illo repetierunt.

11. *Muerte de Darío.—Xerxes, su sucesor, continúa la guerra.*

Interea Darius, quùm bellum instauraret [26], in ipso apparatu decessit.

Xerxes bellum à patre cœptum adversùs Græciam persecutus est.

Septingenta millia hominum de [27] regno armavit et trecenta millia de auxiliis.

Græcia igitur omnem vix capere [28] ejus exercitum poterat.

Naves quoque mille et ducentas numero habuisse dicitur.

Huic tanto agmini dux egregius defuit.

Xerxes enim, inani licèt superbiâ tumens, in periculis timidus erat.

Et quidem primus, in fugâ, postremus in prælio semper visus est.

25 *Ad naves*, complemento indirecto de *egisset* y no de *fugientes*.

26 *Instaurare bellum*, hacer nuevos preparativos de guerra.

27 *De*, prep., *procedente de*.

28 *Capere* no significa aquí *tomar*, que es su mas ordinario sentido, sino mas bien *contener*.

12. *Leónidas, rey de Esparta, sale al encuentro de Xerxes. — Su valor y su heroismo.*

Adventante Persarum exercitu, Lacedæmonii oraculum Apollinis consuluerunt.

Sic autem illis responsum fuerat: si minus [29] rex Spartanorum intereat, civitas peribit.

Idcircò rex Leonidas in bellum proficiscens, suorum animos hortando firmaverat.

Angustias etiam Thermopylarum cum quatuor millibus militum occupaverat.

Sic enim secum cogitaverat: Cum paucis [30] aut majori vincam gloriâ, aut minori reipublicæ damno victus cadam.

Nihil erat difficile persuadere militibus qui amore patriæ flagrabant.

Cuncti igitur, parato ad moriendum animo, in prælium ibant.

13. *Combate de las Thermópilas.*

Xerxes, aspernatus hostium paucitatem, ad pugnam misit eos quorum cognati marathonico prælio interfecti fuerant.

Illi dùm ulcisci suos quærunt, fuère cladis principium.

Succedente deindè inutili turbâ, major cædes editur.

Triduo ibi strenuè dimicatum est; ità tamen ut dolor et indignatio Persarum animos accenderent.

Quartâ die, quùm hostes summum cacumen [31] tenerent, Leonidas iterùm hortatus est suos.

Monuit illos, ut patriæ magis quàm sibi consulerent, et in castra hostium irruerent.

14. *Atacan los Espartanos el campo de los Persas. Su honrosa muerte.*

Spartani, audito sui regis consilio [32], statìm arma capiunt, castraque Persarum irrumpunt.

29 *Si minus*, equivalente de *nisi*, á menos que.

30 *Paucis*, suple *militibus*.

31 *Summum cacumen*, el punto culminante de las montañas entre las cuales se encontraba el desfiladero de los Thermópilas.

32 *Consilio*, aquí *designio*, *resolucion*.

Tumultus ingens totis castris oritur, Spartanique victores quocumque vagantur.

Cædunt sternuntque omnia; pugnant enim non spe victoriæ, sed in [33] mortis ultionem.

Prælium à principio noctis in majorem partem diei tractum fuit.

Postremò illi, non victi, sed vincendo fatigati, inter ingentes stratorum hostium catervas occiderunt [34].

Xerxes, terrestri prælio bis victus, experiri maris fortunam [35] statuit.

15. *Manda Xerxes saquear el templo de Delfos, é incendia muchas ciudades de Grecia.*

Antè navalis prælii congressionem, miserat Xerxes quatuor millia armatorum Delphos [36], ad templum Apollinis diripiendum.

Non igitur cum Græcis solùm, sed etiam cum diis immortalibus bellum gerebat.

Illi verò quos miserat, imbribus et fulminibus deleti sunt.

Indè colligere [37] debuit, quàm nullæ essent hominum adversùs deos vires.

Post hæc, furore amens, Thespias, Platæas et Athenas incendit.

Quæ quidem urbes tunc vacuæ civibus erant.

16. *Respuesta del oráculo de Delfos á los Atenienses. Abandonan su ciudad.*

Quùm Xerxes adventaret, Athenienses miserunt Delphos consultum oraculum Apollinis.

Pythia [38] respondit, ut salutem muris ligneis tuerentur.

Themistocles persuasit civibus Apollinis consilium esse, ut se suaque in naves conferrent.

« Per muros enim ligneos, inquiebat, deus naves significat. »

33 *In*, por, con objeto de (vengar su muerte.)

34 *Occiderunt*, sucumbieron y no mataron, que vendria entoñces de *occidere* y no de *occidere*.

35 *Maris fortunam*, literalmente *la fortuna de mar*, como si dijese *fortunam prælii maritimi*, la suerte, el azar de un combate marítimo.

36 *Delphos*, acus. plur. á la pregunta de lugar *quò*.

37 *Colligere*, amontonar, recoger; de aquí *concluir*.

38 *Pythia*, la Pitia, sacerdotisa de Apolo, llamada así del nombre de la serpiente Python, cuya piel forraba la silla en que se asentaba para anunciar los oráculos.

Probato tali consilio, conjuges liberosque cum pretiosissimis rebus in insulas abditas demandant.

Ipsi urbem relinquunt, navesque armati conscendunt.

Exemplum Atheniensium aliæ etiam urbes imitatæ fuerunt.

17. *Disension entre los aliados.—Artificio de Themistocles.*

Quùm adunata fuit omnis sociorum classis, Themistocles angustias freti salaminii occupavit.

Sic enim egit, ne [39] circumveniri à multitudine hostium posset.

At dissensio inter civitatum principes orta est, singulique deserere societatem et in suam regionem abire volebant.

Tunc Themistocles, timens ne vires discessu sociorum minuerentur, servum fidum Xerxi misit cum his verbis, «O Rex! Græcia uno in »loco contracta capi facillimè potest; multi autem ex præfectis classis »volunt nunc abire; si exspectes, dùm discesserint, singulos majori »labore [40] debellabis.»

Hoc dolo impulit Xerxem ad pugnam protinùs capessendam.

18. *Combate naval junto á Salamina.—Nueva derrota de los Persas.*

Xerxes igitur signum pugnæ dedit, Græcique conjunctis viribus prælium iniêre.

Intereà rex, spectator pugnæ, cum parte navium in maris littore remansit.

Artemisia autem, regina Halicarnassi [41], quæ in auxilium Xerxi venerat, inter primos duces acerrimè pugnabat.

Fortissima enim illa mulier virilem audaciam præ se ferebat.

Persæ tamen, iterùm pulsi victique, in fugam vertuntur.

Quâ in trepidatione [42] multæ captæ naves, multæ mersæ fuerunt; plures autem domum reversæ sunt.

19. *Consejo de Mardonio á Xerxes.*

Hâc clade perculsus Xerxes, dubius erat consilii [43].

Tunc Mardonius, unus è ducibus Persarum, eum sic compellavit:

39 *Ne* por *ut non*: alguna vez *ut* se encuentra sustituido por *ne*.

40 *Majori labore*: tradúzcase como si estuviese suprimida la preposicion *cum*.

41 *Halicarnassi*. Halicarnaso, ciudad de Caria en el Asia Menor.

42 *Trepidatione*, significa la confusion y desórden de una derrota.

43 *Dubius consilii*, que duda, que está incierto sobre el partido que debe tomar.

»O rex! fama adversi hujus belli aliquam seditionem in Perside po-»terit movere; itaque tuum in regnum abi; mihi intereà trecenta mil-»lia armatorum lecta relinque; si Græciam perdomuero [44], plurima »ad te gloria; sin aliter res cesserit, nulla deveniet infamia.»

Probato consilio, Mardonius exercitui præficitur.

Rex autem ipse reliquas copias in regnum reducere paravit.

20. *Intentan los Griegos quitar á Xerxes todo medio de fuga.*

Græci vero vix audierunt regis fugam, quùm consilium inierunt pontis interrumpendi, quem ille Abydi [45] fecerat.

Sic enim intercluso reditu, aut cum exercitu illum delere, aut ad pacem petendam cogere [46] decreverant.

Sed Themistocles, verens ne interclusi hostes in desperationem venirent, suasit Græcis ne id agerent.

Quùm autem non posset illos de sententiâ dimovere, eumdem servum misit, qui Xerxem hujus consilii certiorem faceret et maturare fugam juberet [47].

Ille, perculsus nuntio, tradidit ducibus suis milites perducendos, et ipse cum paucis Abydum contendit.

21. *Xerxes se ve obligado á huir en una barca de pescador.*

Xerxes, quùm Abydum pervenisset, pontem hybernis tempestatibus solutum invenit. Tunc trepiduas piscatoriâ scaphâ mare trajecit.

Sic ille cujus naves paulò antè æquor [48] omne vix capiebat, exiguo navigio salutem commisit suam.

Nec iter felicius fuit copiis quas ducibus suis reliquerat reducendas.

Etenim ad labores quotidianos fames, imò et pestis brevì acceserant.

Tantus etiam fuit morientium numerus, ut viæ cadaveribus implerentur, alitesque et bestiæ carnivoræ exercitum sequerentur.

44 *Si perdomuero*, si domàre.

45 *Abydi* de Abydos, ciudad de Mysia, fronteriza de Sestos en el estrecho de Helesponto.

46 *Cogere* suple *illum* (*Xerxem*).

47 *Juberet*, no tiene aqui el sentido de mandar, sino el de aconsejar, dar prisa con instancia.

48 *Æquor*, el mar. Esta palabra viene del adjetivo *æquus*, porque el mar presenta una superficie *igual, unida*.

22. *Derrota del ejército de Mardonio.—Su fuga.*

Interìm Mardonius in Græciâ Olynthum expugnavit.

Athenienses deindè ad pacem cum rege faciendam inducere conatus est.

Postquàm autem vidit libertatem apud illos esse rebus ceteris multò cariorem, copias in Bœotiam [49] transtulit.

Eo et Græcorum exercitus, qui centum millium erat, eum secutus est, ibique prælium commissum fuit.

Sed eadem fuit duci, quæ regi [50], fortuna.

Nam victus Mardonius cum paucis profugit. Castra, regalibus opibus referta, capta sunt.

23. *Son derrotados los Persas en el Asia el mismo dia.—Ponen fin á la guerra estas dos derrotas.*

Eodem fortè die quo copiæ Mardonii deletæ sunt, navali etiam prælio in Asiâ, sub monte Mycale [51], Persæ victi fuerunt.

Etenim quùm utraque classis jàm congrederetur, fama ad utrumque exercitum venit Græcos vicisse, Mardoniique copias profligatas fuisse.

Quo audito, Persæ extemplò turbati diffugerunt.

Sic bello confecto, in universo Græcorum concilio [52] Atheniensium virtus præcipuas laudes obtinuit.

Inter duces quoque Themistocles princeps civitatum testimonio [53] declaratus est, sicque gloriam suæ patriæ auxit.

24. *Restablecimiento de las murallas de Atenas.—Embajada de los Lacedemonios con este motivo.*

Athenienses, pace confectâ urbis restituendæ concilium susceperunt; at mœnia altiora [54] exstruxêre.

49 *Bœotiam*, la Beocia, provincia de la Grecia al Sur de la Phòcida.

50 *Quæ regi*, puede suplirse *fuerat*.

51 El monte *Micale* estaba en la parte del Asia Menor llamada en otro tiempo *Lidia*, hoy *Natolia*.

52 *Concilio*, asamblea, reunion.

53 Constrúyase: *declaratus est princeps testimonio civitatum*.

54 *Altiora*, súplase para la claridad *quàm erant, antequàm Athenæ incendio deletæ fuissent*.

Lacedæmonii propterea miserunt Athenas legatos qui eâ de re quererentur.

Themistocles respondit legatis: «Quandòquidem anxio estis animo, ego ibo Lacedæmonem, hanc que controversiam vobiscum facilè dirimam.»

Tum, dimissis Spartanis, hortatur suos [55] ad opus maturandum.

Dein ipse, aliquantò pòst in legationem profectus est, et inter eundum [56] infirmitate simulatâ, spatium consummando operi dedit.

25. *Termina Themistocles felizmente esta negociacion.*

Interim nuntiatum est Spartanis opus Athenis maturari.

Denuò igitur legati ad illis missi fuerunt ad rem inspiciendam.

At Themistocles Atheniensium magistratibus suasit per litteras, ut eos legatos in pignus [57] retinerent, donec ipse in patriam rediret.

Adiit deindè concionem Lacedæmoniorum, illisque dixit muros ità exstruit, non adversùs socios, verùm adversùs hostes patriæ.

Illis etiam consilium aperuit suum de legatis retinendis, eoque vehementer objurgavit, quòd sic fidem sociorum suspectam haberent.

Quibus [58] verbis dimissus est, patriamque, re feliciter peractâ, repetiit.

26. *Traicion y sentencia de Pausanias.*

Posthæc Spartani, ut bis illatum à Persis Græciæ bellum ulciscerentur ultrò fines eorum depopulati sunt.

Ducem suo sociorumque exercitui delegerant Pausaniam.

At ille, Græciæ dominari cupiens, patriam tunc prodere statuit.

Dùm igitur cum Xerxe rem paciscerctur, Aristides, dux Atheniensium, proditionis consilia [59] deprehendit.

Tùm, collegæ conatibus obviàm eundo, spem Xerxis omnem fefellit.

Nec multò pòst accusatus Pausanias, à suis capite damnatus est.

27. *Vuelve Xerxes á comenzar la guerra.—Cimon, generalísimo de los Griegos.—Su piedad filial.—Xerxes es derrotado por mar y tierra.*

Xerxes, quùm proditionis consilium manifestum vidisset, bellum instauravit.

55 *Suos*, sus (conciudadanos).

56 *Inter eundum*, en el intervalo de la jornada, caminando.

57 *In pignus*, en rehenes, como rehenes: la preposicion *in* con el acusativo determina la intencion, el motivo.

58 *Quibus* por *illis*, pero mas elegante.

59 *Proditionis consilia*, los proyectos de traicion.

Græci ducem constituerunt [60] Cimonem, Atheniensem, filium Miltiadis, qui pugnâ marathonicâ Persas fuderat.

Illius juvenis magnitudinem futuram egregia pietatis in patrem exempla portenderant.

Etenim patrem in vinculis conjectum ibique defunctum ad sepulturam redemit.

Nec in bello virtus ejus spem Græcorum frustrata fuit.

Et quidem Cimon Xerxem, terrestri navalique prælio victum, recipere se in regnum coegit.

28. *Muerte trágica de Xerxes.*

Rex Persarum, in Græciâ victus, cœpit etiam esse suis contemptui [61].

Itaque Artabanus, unus ex ejus præfectis, spe regnandi adductus, mortem illi machinabatur.

Quâdam die sub vesperum regiam cum septem suis filiis ingressus, regem trucidavit.

Filios verò Xerxis, qui supererant dolo aggressus est.

Cæde igitur patris primùm insimulavit Darium, regis filium, et ille quoque interfectus est.

Dein Artaxerxi ipse paravit insidias, qui brevi rem omnem comperit.

Denuntiatum est enim Artaxerxi, ut [62] pater ejus occisus, ut frater [63] falsò insimulatus fuisset, ut deniquè ipse struerentur insidiæ.

29. *Es vengada la muerte de Xerxes con la de Artabano.*

His [64] cognitis, Artaxerxes, verens Artabani filiorum numerum, jubet recenseri postridiè exercitum.

Inter ceteros et ipse Artabanus in armis assistebat.

Tunc rex simulat se breviorem loricam habere, jubetque Artabanum secum commutare.

At illum se exuentem Artaxerxes gladio transfixit, filiosque ejus statim corripiendos curavit [65].

60 *Constituerunt*, establecieron de consuno, nombraron de comun acuerdo.

61 *Esse suis contemptui*, ser despreciado de los suyos.

62 *Ut*, no *que*, sino *como*.

63 *Frater* tiene, lo mismo que *pater*, su correlativo en *ejus*.

64 *His*, suple *rebus*.

65 *Filios ejus corripiendos curavit*, procuró apoderarse de los hijos de Artabano.

Atque ità egregius ille adolescens et cædem patris, et necem fratris et se ab insidiis Artabani vindicavit.

30. *Licurgo, legislador de Esparta.*

Dùm hæc [66] in Perside gererentur, Lacedæmonii et Athenienses, duo potentissimi Græciæ populi, inter se bellabant.

Operæ pretium est [67] hìc dicere de Lycurgo, qui Spartam egibus informavit.

Lycurgus, è regiâ stirpe natus, fratri suo Polybitæ, Spartanorum regi, successit.

At posteà quùm apud eum æquitas plùs quàm opes valeret, Charillo fratris filio regnum restituit.

Dùm tutelam Charilli administraret, non habentibus Spartanis leges instituit.

Nec inventione earum clarior, quàm suis exemplis, fuit.

31. *Leyes de Licurgo.*

Administrationem reipublicæ per ordines [68] divisit.

Regibus potestatem bellorum, magistratibus annuis judicia, senatui custodiam legum [69], populo senatum ceterosque magistratus creandi potestatem permisit.

Fundos omnium æqualiter in omnes divisit, ne quis altero potentior esset.

Emi singula, non pecuniâ, sed compensatione mercium jussit.

Auri argentique usum velut omnium scelerum materiam sustulit.

Convivari omnes publicè voluit, ne cujusquam opes vel mores in occulto essent.

32. *Continuacion de las leyes de Licurgo.*

Parcimoniam omnibus suasit, ratus laborem militiæ assiduâ frugalitatis consuetudine faciliorem fore.

Juvenibus non ampliùs unâ veste uti toto anno [70] permisit.

Pueros puberes in agrum deduci præcepit, ut primos annos in opere et laboribus agerent.

66 *Hæc*, suple *negotia*.

67 *Operæ pretium est*, es bueno, es á propósito.

68 *Ordines*, ordenes, clases.

69 *Custodiam legum*, la guardia, la conservacion de las leyes.

70 *Toto anno*, por todo el año. La palabra que expresa duracion se pone en ablativo sin preposicion.

Illos humo nudâ dormire, nec priùs in urbem redire, quàm viri facti essent, statuit.

Virgines sine dote nubere [71] jussit, ut virtutum duntaxat, non divitiarum ratio haberetur [72].

Maximum honorem, non viris divitibus et potentibus, sed senibus haberi voluit.

Nec sanè usquàm terrarum locum honoratiorem [73] senectus habuit.

33. *Destierro voluntario de Licurgo.*

Lycurgus, ut leges religiosè observarentur, finxerat Apollinem delphicum earum esse auctorem.

Deindè curavit ut perpetuò constanterque colerentur.

Simulavit igitur se Delphos proficisci, ut oraculum consuleret, quid addendum legibus, quidve mutandum fore.

Jurejurando priùs cives obligavit, eos nihil ex legibus mutaturos esse, anteqùam reverteretur.

Profectus est autem Cretam, ibique perpetuum egit exsilium [74].

Jussit etiam moriens abjici in mare ossa sua, ne si relata essent Lacedæmonem, Spartani se jurejurando suo solutos arbitrarentur.

34. *Guerra de los Mesenios y Lacedemonios. Toma de la ciudad de los Mesenios.*

Dùm æquis illis legibus floreret Lacedæmon, Messenii spartanas virgines in solemni sacrificio affecerunt injuriâ [75].

Lacedæmonienses igitur bellum Messeniis intulerunt, Messeniamque obsederunt.

At eos contrà spem suam, obsidio urbis decem annis tenuit [76].

Ad dolum igitur confugerunt, Messeniosque per insidias expugnaverunt.

Timuerant videlicet ne bellum diuturnum ipsis plùs quàm Messeniis noceret.

Sic victi Messenii per annos octoginta omnia servitutis mala perpessi sunt.

71 *Nubere*, las doncellas se cubrian con un velo en el dia de su casamiento.
72 *Ut ratio haberetur*, para que se tuviese cuenta.
73 *Locum honoratiorem*, un lugar donde se le honrase mas.
74 *Egit exsilium*, vivió en el destierro, se condenó á perpetuo destierro.
75 *Injuria*, insulto, ultraje.
76 *Eos tenuit*, los tuvo ocupados, los detuvo.

35. *Piden los Lacedemonios un general á los Atenienses, quienes les envian por desprecio al poeta Tyrteo.*

Messenii, post longam malorum patientiam [77] bellum instauraverunt.

Lacedæmonii quoque adversùs istos rebelles servos ad arma concurrerunt.

Hinc igitur injuria, illinc [78] indignatio animos acuebat.

Lacedæmonii juxta responsum Apollinis, ducem belli ab Athenien-sibus petiverunt.

Porrò Athenienses, qui responsum oraculi cognoverant, Spartanis Tyrtæum poetam, claudum pede, in contemptum [79] miserunt.

Qui tribus prælìis fussus, eò usque desperationis Spartanos adduxit, ut reges exercitum vellent reducere.

36. *Excita Tyrteo el valor de los Lacedemonios, que obtienen la victoria.*

Tyrtæus consilio regum obstit, exercituique carmina excitatoria [80] recitavit.

Tantum ardorem militibus injecit, ut vel vincere vel mori essent parati.

Quùm sic animatum reges vidissent exercitum, curaverunt ut res Messeniis nuntiaretur.

Quæ res Messeniis non timorem, sed æmulationem mutuam dedit.

Itaque tàm acriter dimicatum est, ut nunquàm cruentius prælium fuerit.

Postremùm tamen victoria Lacedæmoniorum fuit.

37. *Tercera guerra de los Mesenios.—Guerra de Atenas y de Esparta.*

Interjecto tempore [81], tertium quoque bellum Messenii reparavêre.

Lacedæmonii primùm in hoc bello Atheniensium auxilium adhibuerant.

At brevì, quùm illorum fidem suspectam haberent, eos dimiserunt.

Quam injuriam Athenienses graviter ferentes, ulti fuerunt.

Sed non Lacedæmonii quievêre; quùmque Messeniorum bello occu-

77 *Post longam patientiam*, despues de haber sufrido largo tiempo.

78 *Hinc* se refiere á los Lacedemonios, *illinc* á los Mesenios.

79 *In contemptum*, en señal de desprecio, por desprecio.

80 *Excitatoria*, hechos para excitar (su valor).

81 *Interjecto tempore*, despues de un período de tiempo.

pati essent, Peloponnenses [82] immisêre, qui bellum Atheniensibus facerent.

Parvæ tunc temporis vires Atheniensibus erant; classem quippè miserant in Ægyptum.

Itaque navali prælio illi facile fuerunt superati.

38. *Vuelven los Atenienses á tomar las armas. Encarnizamiento de los Espartanos.*

Non multò pòst, Athenienses novum bellum susceperunt.

Itaque Lacedæmonii, omissis Messeniis, adversùs Athenienses arma verterunt.

Diù incerta victoria fuit; æquo tandem Marte [83] utrinquè discesserunt.

Indè adversùs Messenios Lacedæmonii reversi sunt.

At, ne otium Atheniensibus relinquerent, ad bellum cum illis gerendum Thebanos impulerunt.

Athenienses igitur, in tantà tempestate, duos duces elegerunt, Periclem, spectatæ virtutis virum, et Sophoclem, poetam eximium qui, diviso exercitu, et Spartanorum agros vastaverunt, et multas Achaiæ civitates Atheniensium imperio adjecerunt.

39. *Hacen la paz los Lacedemonios. — Violan al poco tiempo su tratado.*

His fracti malis Lacedæmonii, in annos triginta [84] pacem pepigerunt.

Sed tàm longum otium non tulerunt eorum inimicitiæ.

Itaque, decimo quinto anno, rupto fœdere, fines atticos depopulati sunt, et hostes suos ad prælium provocavêre.

Athenienses autem, consilio Periclis, sui ducis, injuriæ ultionem in aliud tempus distulerunt.

Interjectis deindè diebus, naves conscenderunt, totamque Spartam deprædati, multò plura [85] abstulerunt quàm amiserant.

Longè igitur major fuit ultio quàm injuria.

82 El Peloponeso era una península reunida á la Grecia por el istmo de Corinto. Comprendia la Argólida, la Corintia, la Laconia, la Messenia, la Elida, la Arcadia, la Achaya y la Sicyonia.

83 *Æquo Marte*; tradúzcase como si dijere *æquis armis, pari successu*.

84 *In annos triginta*, por treinta años.

85 *Plura*, suple *negotia*.

40. *Rasgo de prudencia y de patriotismo de Pericles.*

Clara quidem hæc Periclis expeditio; sed multò clarior privati patrimonii contemptus fuit.

Lacedæmonii hujus agros, dùm ceteros popularentur, intactos reliquerant.

Sic enim voluerant conflare huic viro [86] suorum invidiam.

Quod prospiciens Pericles, ad declinandam invidiam, agros suos dono reipublicæ dederat.

Atque ità ibi maximam invenit gloriam, undè periculum ipsi imminebat.

Posthæc navali prælio dimicatum est, victique Lacedæmonii fugerunt.

Deniquè, fessi tot malis, in annos quinquaginta pacem fecêre, quam nonnisi [87] sex annis servaverunt.

41. *Es llevada la guerra á Sicilia.—Descripcion de esta comarca.*

Hinc bellum in Siciliam traslatum est, de cujus situ pauca priùs dicam.

Vicina est Italiæ Sicilia [88]; hujus solum est ità tenue et penetrabile, ut ventorum flatibus totum pateat.

Strata intrinsecùs sulphure et bitumine dicitur.

Hìc stat mons Ætna, cujus visceribus materia ad generandos nutriendosque ignes idonea continetur.

Hinc frecuenter nunc flammæ, nunc vapor, nunc [89] fumus eructantur.

Et ubi acrior ventus interiora [90] penetravit, arenarum moles saxaque egeruntur.

42. *Primeros habitantes. — Antiguos tiranos de la Sicilia.*

Siciliæ primum Trinacria [91] nomen fuit, posteà Sicania cognominata est.

86 *Conflare huic viro*, excitar (contra) este varon insigne.

87 *Nonnisi*, equivale aquí á *tantummodò*.

88 La Sicilia está efectivamente al Sur de Italia.

89 *Nunc*, así repetido, se traduçe *ora* ó *ya*.

90 *Interiora* suple *loca*.

91 *Trinacria*. Este nombre fue dado á la Sicilia para significar su forma triangular.

Hæc à principio patria Cyclopum fuit, quibus exstinctis, Cocalus regnum insulæ occupavit.

Illo mortuo, singulæ civitates in tyrannorum imperium concesserunt.

Horum ex numero fuit Anaxilaus, qui tamen justitiâ inter ceteros eminuit.

Imperium Siciliæ etiam Carthaginienses usurpare aggressi sunt, diùque variâ fortunâ cum tyrannis dimicaverunt.

Postremùm, amisso Hamilcare imperatore cum exercitu, aliquantisper quievêre.

43. *Desgraciada suerte de los moradores de Reggio en Sicilia.*

Illis fortè temporibus, Rhegini divisi in duas factionum partes erant.

Altera pars in [92] auxilium vocavit socios, à quibus expulsi sunt civitate ii contrà quos accersiti fuerant.

Illi verò mox interfecerunt eos quibus tulerant auxilium, urbemque cum conjugibus et liberis occupavêre.

Rheginis igitur melius fuisset vinci quàm vicisse.

Nam sive victoribus serviissent, sive patriâ exsulare necesse habuissent, non tamen neci occubuissent crudelissimæ.

Nec etiam patriam cum conjugibus ac liberis prædam tyrannis reliquissent.

44. *Conciben los Atenienses el proyecto de apoderarse de Sicilia.*

Catinienses [93] quoque, quùm Syracusanorum jugum excutere vellent, auxilium ad Atheniensibus petivêre.

Athenienses Lamponium ducem eum classe in Siciliam miserunt.

At, sub specie ferendi Catiniensibus auxilii, tentare Siciliæ imperium in animo habebant.

Prima initia belli, cæsis frecuenter hostibus, prospera fuerunt.

Tunc majori classe majorique exercitu, Lachete et Chabriade ducibus, Siciliam adierunt.

Sed Catinienses, seu metu Atheniensium, seu tædio belli, remisserunt Atheniensium auxilia, pacemque cum Syracusanis fecêre.

92 *In*, sinónimo de *ad*, llamó en su ó para su socorro.

93 *Catinienses*, los moradores de Catana, ciudad situada junto al Etna.

45. *Son llamados los Atenienses á Sicilia contra los de Siracusa.*

Pax autem à Syracusanis non servata fuit, Catiniensesque denuò legatos Athenas miserunt.

Qui, quùm Atheniensium concionem adiissent sordidâ veste [94], sparsis crinibus et lacrymabundi, populum misericordiâ moverunt.

Classis igitur ingens instructa fuit, et creati sunt duces Nicias, Alcibiades et Lamachus.

Brevi pòst tempore, revocato Alcibiade, duo prælia terrestria commisserunt Nicias et Lamachus, retuleruntque victoriam.

Urbe deindè obsessâ, hostes intra mœnia clausos marinis etiam commeatibus [95] intercluserunt.

46. *Socorren los Lacedemonios á los de Siracusa.—Derrota de los Atenienses.—Guerra naval.*

Quibus rebus fracti Syracusani, auxilium à Lacedæmoniis petiverunt.

Ab his missus est Gylippus solus, qui, quùm auxilia partim in Græciâ, partìm in Sicilià contraxisset, opportuna loca occupavit.

Duobus prœliis primùm victus fuit.

At congressus tertiò, occiso Lamacho, et hostes in fugam compulit, et socios obsidione liberavit.

Tunc Athenienses navale bellum tentaverunt.

Gylippus contrà classem Lacedæmone cum auxiliis accersivit.

Quo cognito, Athenienses in locum Lamachi Demosthenem et Eurymedonta [96] cum supplemento copiarum miserunt.

Peloponnesii quoque ingentia Syracusanis auxilia misêre.

47. *Son vencidos los Atenienses por mar y tierra.—Nuevo combate naval.*

Primo [97] autem navali certamine Athenienses victi fuerunt.

Castra quoque eorum cum omni publicâ ac privatâ pecuniâ direpta sunt.

94 *Sordida veste*, en traje sucio, desaliñado.— Esto era entre los antiguos indicio de duelo, de afliccion, ó de padecimiento.

95 *Marinis commeatibus*, los convoyes de víveres que podian recibir por el mar.

96 *Eurymedonta*. Este acusativo se asimila á la forma griega.

97 *Primo* suple *in*.

Insuper, terrestri prælio commisso, magnam cladem accepêre.

Tunc Demosthenes censere cœpit ut abirent è Siciliâ, dùm res nondùm perditæ essent.

Nicias, seu pudore malè actæ rèi [98], seu metu invidiæ civium, manere voluit.

Reparatum est itaque navale bellum.

Sed Athenienses, inscitiâ ducum, qui inter angustias maris Syracusanos imprudenter aggressi fuerant, victi, à prælio discesserunt.

48. *Resultado de este combate.*

Eurymedon dux, in primâ acie fortissimè dimicans, primus cecidit. triginta*que* naves quibus præerat incensæ fuerunt.

Demosthenes et Nicias et ipsi victi, exercitum in terram deposuerunt, rati fugam itinere terrestri tutiorem fore.

Ab his relictas centum et triginta naves Gylippus invasit.

Ipsos deindè insecutus fugientes, partìm cepit, partim cecidit.

Demosthenes, amisso exercitu, captivitatem effugit morte voluntariâ.

Nicias autem, exemplum Demosthenis nequaquàm secutus, captivus ab hostibus abductus est.

49. *Llamamiento de Alcibiades.—Destiérrase él mismo, y entrégase despues á los Lacedemonios.*

Dùm Athenienses in Siciliâ bellum per bienium cupidiùs quàm feliciùs [99] gererent, concitor et dux ejus belli Alcibiades, Athenis absens insimulabatur quòd mysteria Cereris sacra enuntiavisset.

Revocatus igitur à bello fuerat ad judicium.

At illi tacitus in exsilium Elidem [100] profectus est.

Indè ubi cognovit non solùm se damnatum, verùm etiam diris [101] fuisse devotum, Lacedæmona se contulit.

Ibi regem Lacedæmoniorum impulit ad bellum ultrò Atheniensibus inferendum.

Quo facto, cunctæ etiam Græciæ civitates ad arma concurrerunt.

98 *Malè actæ rei*, del éxito desgraciado, desacertado del negocio.

99 *Cupidiùs quàm feliciùs*, mas ardorosa que felizmente.

100 *Elidem*, Elis, capital de la Elida, comarca del Peloponeso, llamada hoy Morea.

101 *Diris*, así se llamaban las divinidades del infierno, y principalmente las furias.

50. *Declárase tambien contra los Atenienses Darío, rey de Persia.*

Darius quoque, rex Persarum, paterni avitique in Athenienses odii hæres, factâ cum Lacedæmoniis societate, omnem sumptum belli pollicitus est.

Reverà timebat ne, victis Atheniensibus, in se ipsum arma conferrent Lacedæmonii.

Totius igitur Orientis vires ad apprimendam unam urbem concurrebant.

Omnes etiam socii, principio belli, ad Atheniensibus desciverant.

Non tamen inulti Athenienses ceciderunt.

Sed fortissimè prœliati sunt, et magìs varietate [102] fortunæ quàm vi hostium victi fuerunt.

51. *Excita Alcibiades la envidia de los Lacedemonios.—Preséntase al general de los Persas, á quien disuade de la amistad de aquellos.*

Sed apud Lacedæmonios virtus Alcibiadis plùs invidiæ quàm gratiæ contraxit [103].

Principes igitur Spartæ illum interficiendi quâlibet ratione consilium ceperant.

Re autem cognitâ, Alcibiades ad Tissaphernem, præfectum Darii regis, profugit.

Cujus amicitiam et comitate et officiis celeriter sibi conciliavit.

Deindè persuasit Tissapherni, ne tanta stipendia classi Lacedæmoniorum præberet.

«Timendum enim esset, inquiebat ille, ne, hoc perfecto bello, Lacedæmonii victores in Persas arma converterent.»

Gratum fuit Tissapherni consilium, monentique [104] Alcibiadi rex paruit.

52. *Trata Alcibiades de sembrar la division entre sus conciudadanos.*

Intereà Alcibiades hanc operam civibus suis venditabat.

Quâ de re quùm legati Atheniensium ad eum venissent, iis pollicitus

102 *Varietate*, la inconstancia, la versatilidad.
103 Suple *ei*, le atrajo mas ódio que favor.
104 *Monentique*, suple *eum*.

est regis amicitiam, si respublica à populo ad senatum translata foret.

Sperabat nempè se, aut, concordante civitate, ducem ab omnibus electum iri, aut, factâ inter duos ordines discordiâ, ab alterâ parte vocatum iri [105] in auxilium.

Sed Atheniensibus, quibus imminebat belli periculum, unica salutis suæ cura fuit.

Itaque, permittente populo [106], imperium ad senatum translatum est.

53. *Es llamado Alcibiades por el ejército contra el senado, y marcha despues contra los Lacedemonios.*

Quùm autem senatus superbè ac crudeliter in plebem ageret, ab exercitu revocatus est Alcibiades, duxque classi constitutus fuit.

Statìm igitur ille Athenas misit legatos, qui dicerent se cum exercitu venturum, ni jura populo à senatu restituerentur.

Hâc denuntiatione optimates territi, primò urbem Lacedæmoniis prodere statuerant.

Quùm verò id nequivissent exsequi consilium, profecti sunt in exsilium.

Sic Alcibiades patriam intestino malo liberavit.

Deindè summâ curâ classem instruxit [107], atqueit à adversùs Lacedæmonios processit.

54. *Victoria de los Atenienses por mar y tierra.*

Jàm Mindaruas et Pharnabazus, Lacedæmoniorum duces, instructis navibus, prælium exspectabant.

Pugnâ tandem commissâ, victoria penès Athenienses fuit.

In eo bello major pars exercitûs et omnes ferè hostium duces cæsi fuerunt.

Naves etiam octoginta captas amiserunt Lacedæmonii.

Qui [108], quùm aliquantò post in terrestre prælium venissent, iterùm debellati sunt.

105 *Vocatum iri.* Es necesario repetir aquí el pronombre reflexivo *se*, que se halla en el primer miembro de la frase: *se vocatum iri.*

106 *Permittente* suple *id*, esto: á saber, que la autoridad fuese confiada al senado.

107 *Classem instruxit*, significa equipó una flota; *instruere aciem*, quiere decir simplemente *ordenar*, *disponer* un ejército en batalla.

108 *Qui* por *illi*: *qui* se vuelve á encontrar con frecuencia y es muy elegante: se coloca, como se ve en este ejemplo, antes de la conjuncion *quùm*.

Tantâ clade perculsi, legatos miserunt, petentes pacem.

Sed operâ multorum factum est ne illam acciperent.

55. *Lleva Alcibiades la guerra al Asia, y vuelve á su patria triunfante.*

Tunc Alcibiades cum classe victrici Asiam vastare cœpit, multisque locis prælia fecit.

Ubique victor, recepit [109] civitates quæ defecerant, nonnullasque cepit alias, quas imperio Atheniensium adjecit.

His omnibus præliis ducentæ naves ostium et præda ingens captæ fuerunt.

Tandem, desideratus [110] à civibus suis, Athenas reversus est.

Illi redeunti effusa [111] omnis multitudo obviàm procesit.

Omnibus non solùm humanis, verùm et divinis honoribus sui eum cumulârunt [112] cives.

56. *Atacan los Lacedemonios á Alcibiades, cuyo ejército derrotan.*

Dùm hæc agerentur, Lysander à Lacedæmoniis classi belloque præfectus est.

In locum quoque Tissaphernis, Darius, rex Persarum filium suum Cyrum Ioniæ Lydiæque [113] præposuit.

Qui Lacedæmonios auxiliis opibusque novis adjuvit.

Tunc Alcibiades, cum centum navibus in Asiam profectus, agros populabatur.

Lacedæmonii igitur, aucti viribus [114], atheniensem exercitum repentino adventu oppressêre.

Tanta cædes fuit, ut plùs detrimenti eo prælio Athenienses acceperint, quàm superioribus pugnis ipsi dederant.

57. *Quitan los Atenienses á Alcibiades el mando del ejército, y lo dan á Conon.*

Tanta desperatio apud Athenienses fuit, ut in locum Alcibiadis Cononem substituerint.

109 *Recepit*, recobró, volvió á tomar.

110 *Desideratus*, deseado, y mas rigorosamente sentido. *Desiderare*, significa desear una cosa que se ha poseido ya.

111 *Effusa*, la multitud se apiñaba confusamente á &c.

112 *Cumulârunt*, perfecto sincopado por *cumulaverunt*. Esta síncope es muy frecuente.

113 Estas dos provincias, la Jonia y la Lidia, formaban parte del Asia Menor, y constituyen hoy dia la Natolia.

114 *Aucti viribus*, aumentados en fuerzas. Pudo haberse dicho *auctis viribus*, aumentadas (sus) fuerzas.

Arbitrabantur enim se victôs fuisse non fortunâ belli, sed malitiâ imperatoris, apud quem magis valebat prior offensa, quàm recentia beneficia.

Dicebant illum vicisse priori bello, non nisi ut hostibus ostenderet quem ducem sprevissent.

Nam vigor ingenii et morum licentia in Alcibiade omnia credibilia faciebant [115].

Alcibiades igitur, ut illud audivit, denuò in voluntarium exsilium profectus est.

58. *Prepara Conon una flota y marcha contra los Lacedemonios.—Pierde la batalla.*

Conon, Alcibiadi suffectus, classem maximâ celeritate industriâque exornavit [116].

Sed navibus exercitus deerat: fortissimi quippè milites in Asiâ occisi fuerant.

Armati sunt tamen senes impuberesque pueri.

Prælium indè committitur; at brevì cæduntur illi passim, aut fugientes capiuntur.

Tanta strages fuit, ut Atheniensium et imperium et nomen deleta viderentur.

Ad tantam virorum inopiam venerant Athenienses, ut, in restaurationem exercitûs, civitatem [117] peregrinis, servis libertatem, impunitatem damnatis dederint.

59. *Prueba la suerte de una segunda batalla.—Derrota de su ejército.*

Fortunam igitur maris iterùm experiri Athenienses statuerunt.

Tanta autem virtus tunc fuit animorum, ut, quùm paulò antè salutem desperarent, tunc non desperaret victoriam.

At conscriptus ex istâ colluvione [118] hominum exercitus, non is erat, qui nomen Atheniensium tueretur.

Itaque omnes aut capti aut occisi fuêre.

Dux Conon eo prælio solus superfuit.

Quùm autem crudelitatem civium metueret, noluit ad eos reverti, et cum octo navibus ad regem Cyprium Evagoram concessit.

115 *Faciebant*, hacian, volvian.

116 *Exornavit*, tiene aquí el mismo sentido que mas arriba *instruxit*.

117 *Civitatem*, el derecho de ciudadanía.

118 *Colluvione*, mezcla allegadiza.

60. *Los Lacedemonios reducen á los Atenienses al dominio de su propia ciudad.*

At dux Lacedæmoniorum, rebus feliciter gestis, fortunæ hostium insultare cœpit.

Captivas naves in triumphi modum ornatas cum prædâ omni bellicâ misit Lacedæmona [119].

Multæ tributariæ Atheniensium civitates, metu dubiæ belli fortunæ, in fide permanserant.

Tunc Lysander voluntariam illarum deditionem accepit.

Nec aliud ditionis [120] Atheniensibus præter urbem ipsam reliquit.

Ad hunc miserabilem statum Athenas deduxerant et immoderata imperii cupiditas, et ducum vel ambitio vel imperitia.

61. *Consternacion general de Atenas.*

Quæ quùm Athenis nuntiata essent, omnes [121], relictis domibus, per urbem discurrêre pavidi.

Alius alium sciscitari; alii fratres aut filios aut parentes, cognatos alii, alii amicos deflent.

Jàm patria cunctis videtur peritura.

Quisque sibi antè oculos proponit obsidionem, famem, ruinam urbis et incendium, omnium captivitatem miserrimamque servitutem.

Quisque miseriorem incolumium, quàm amisorum fortunam judicat.

Nec minor pueros, senes mulieresque dolor afficiebat; adeò ad omem ætatem tanti hujus mali sensus penetraverat.

62. *Asedio de Atenas.—Paz demandada y obtenida por los Atenienses.*

At ecce urbi propè perditæ hostes superveniunt, illamque obsidione cinctam fame urgent.

Sciebant enim parùm propugnaculi Atheniensibus superesse, providerantque ne novæ copiæ advehi possent.

Quibus malis Athenienses fracti, post longam famem, pacem petiverunt.

Quæ [122] an dari deberet, diù inter Spartanos sociosque deliberatum fuit.

119 *Lacedæmona*, acus. sin preposicion.

120 *Aliud* (*negotium*) *ditionis*, otra (cosa) de posesion, alguna otra posesion.

121 *Omnes*, suple *incolæ*, *cives*.

122 *Quæ*, por *illa* (*pax*).

Tandem Spartani pacem polliciti sunt, si Athenienses partem murorum Piræum [123] versùs sitam dejicerent, naves reliquas traderent, trigintaque ex semetipsis viros ad rèmpublicam administrandam acciperent.

63. *Atenas gobernada por treinta tiranos.—Muerte de Alcibiades.*

Mutato Athenarum statu, mutata etiam fuit civium conditio.

Vix enim triginta rectores reipublicæ constituti sunt, quùm tyrannidem exercuerunt gravissimam.

Primùm tria millia satellitum sibi statuerunt.

Deindè, quasi parvus hic ad continendam civitatem [124] exercitus esset, septingentos milites è Spartanis accersiverunt in urbem.

Post hæc, quùm Alcibiadem ad Artaxerxem, Persarum regem, esse profectum comperissent, miserunt qui citato itinere eum interciperent.

A quibus ille occupatus, quùm occidi apertè non posset, vivus in cubiculo in quo dormiebat crematus est.

64. *Crueldades cometidas por los treinta tiranos.—Emigracion general.*

Tyranni, Alcibiadis metu liberati, urbem cædibus et rapinis impleverunt.

Quod quùm uni è suis collegis, Therameni, displicere didicissent, ipsum quoque interfecerunt.

Tacta igitur ex urbe omnium fuga, Græcia repleta est Atheniensium exsulibus.

Lacedæmonii verò, ut perfugium miseris eriperent, edicto caverant ne quâ civitate [125] exsules reciperentur.

Omnes tamen Argos Thebasque se contulêre, ubi non solùm tutam vitam egerunt, verùm etiam spem recuperandæ patriæ acceperunt.

65. *Trasíbulo, uno de los desterrados, concibe el proyecto de libertar á su patria.*

Erat inter exsules Thrasibulus, vir strenuus et domi [126] nobilis.

Qui pro patriâ et pro salute communi audendo aliquid, vitæ periculum adire non dubitavit.

Adunatis igitur exsulibus, Phylen in finibus atticis occupavit.

Quædam civitates exsulum partibus favebant.

123 *Piræum*, el Pireo, puerto de Atenas.

124 *Ad continendam civitatem*, es decir, para contener la ciudad.

125 *Ne quâ civitate*. Puede suplirse *in* ó *à*. *Quâ* despues de *ne* equivale á *aliquâ*.

126 *Domi*, aquí, *en su patria, en su tierra*.

Sic Ismenias, Thebanorum princeps, illos privatis opibus juvabat.

Lysias quoque, syracusanus orator, tunc exsul, quingentos milites sumptu suo instructos in auxilium misit.

66. *Son vencidos los tiranos en dos batallas consecutivas.*

Fit itaque bellum asperum; hinc pro patriâ, illinc pro iniquâ dominatione, summis viribus pugnabatur.

Prælio autem commisso, victi tyranni in urbem refugerunt.

Deindè quùm omnes Athenienses proditionis suspectos haberent, demigrare eos ex urbe jusserunt.

Post hæc Thrasybulum corrumpere conati sunt, imperii societatem [127] pollicentes.

Quod quùm assequi non potuissent, auxilia à Lacedæmoniis quæsiverunt.

Quibus impetratis, manus conseruerunt; at eo in prælio ceciderunt Critias et Hippolochus, omnium [128] tyrannorum sævissimi.

67. *Palabras de Trasíbulo al ejército de los tiranos que huia á su vista.*

Ceteris tyrannis devictis, exercitus, cujus major pars ex Atheniensibus constabat, cœpit fugere.

At magnâ voce Thrasybulus sic eos allocutus est:

« Ne [129] me fugiatis, ô cives! adsum vindex communis libertatis.

»Nos quoque cives sumus, non hostes; nec ideò arma cepimus ut »jura vobis adimamus, sed ut restituamus adempta [130].

»Triginta dominis, non civitati bellum intulimus.

»Eædem leges, quæ vobis; eadem sacra nobis sunt communia.

»Misereat vos, quæso, exsulum civium; vos eadem, quæ nos, mala servitutis manent.

»Reddite nobis patriam; accipite vicissìm libertatem."

68. *Son echados de la ciudad los treinta tiranos. — Reemplázanlos diez magistrados. — Convertidos estos en tiranos, son tambien lanzados de Atenas.*

Hâc oratione tantùm profecit Thrasybulus, ut reversus in urbem exercitus triginta tyrannos emigrare Eleusinam [131] jusserit.

127 *Imperii societatem*, la asociacion al mando, la participacion en la autoridad.

128 *Omnium* no debe aquí tomarse en su acepcion general; así *omnium tyrannorum* querrá decir de todos estos tiranos.

129 Puede suplirse *oro*.

130 *Adempta*; repítase aquí el sustantivo, *jura*.

131 *Eleusinam*, acus. sin prep de la pregunta de lugar *quo*.

Substituti deindè decem viri fuerunt, qui rem publicam regerent.

At illi, exemplo priorum nequaquàm territi, crudeliter quoque egerunt.

Dùm hæc agerentur, nuntiatum est Lacedæmone Athenienses in bellum exarsisse.

Ad quod [132] comprimendum missus est rex Pausanias.

Qui, misericordiâ exsulis populi permotus, patriam miseris civibus restituit, decemque tyrannos Eleusinam migrare quoque jussit.

69. *Muerte de los tiranos. — Amnistía general.*

Tyranni maximè dolebant quòd exsules ità restituti fuissent, nec minùs indignè ferebant quòd ipsi tàm turpiter exsulavissent.

Dominationis igitur recipiendæ causâ, bellum Atheniensibus intulerunt.

Quùm verò ad colloquium adducti essent, per insidias comprehensi trucidatique sunt.

Tunc populus [133] quem emigrare jusserant, in urbem fuit revocatus.

Rei publicæ administratio populo restituta est, eamque legem tulerunt, *ne quis, ante actarum rerum causâ, accusaretur neve multaretur.*

Quæ lex oblivionis appellata fuit.

70. *Muerte de Darío, rey de los Persas. — Guerra entre sus dos hijos.*

Eodem ferè tempore, Darius, rex Persarum, mortuus est, Artaxerxe et Cyro filiis relictis.

Assignaverat regnum Artaxerxi, Cyro autem civitates quibus præfectus fuerat.

At judicium patris Cyro visum fuit injuria.

Itaque occultè bellum adversùs fratrem paravit.

Quod quùm Artaxerxi nuntiatum esset, accersitum ad se fratrem compedibus aureis vinxit, interfecissetque, ni [134] mater prohibuisset.

Dimissus igitur fuit Cyrus, qui brevì, auxiliis undiquè contractis, bellum palàm parare cœpit.

71. *Muerte de Ciro. — Heróica retirada de los diez mil Griegos.*

Lacedæmonii, memores se atheniensi bello Cyri operâ fuisse adjutos, auxilia illi miserunt.

132 *Ad quod*, suple *bellum*.

133 *Populus* no significa aquí *el pueblo*, la masa de los moradores, si no una parte del pueblo, aquellos ciudadanos que habian sido desterrados.

134 *Ni* por *nisi* que equivale á *si non*.

Fratres tandem certamen [135] inierunt, priorque Artaxerxes à Cyro vulneratus est.

Quem quùm equi fuga periculo subtraheret, Cyrus à cohorte regiâ oppressus interfectusque fuit.

In eo prælio, decem millia Græcorum in auxilio Cyri fuêre.

Post mortem Cyri, à tanto exercitu neque vinci armis neque dolo capi potuerunt.

Dùmque reverterentur, adversùs tot indomitas nationes, per tàm longum iter, virtute magnâ se ad patriam usque defenderunt.

72. *Quieren los Lacedemonios apoderarse del Asia. — Manda Conon la flota de los Persas.*

Lacedæmonii deindè totius Asiæ imperium affectare cœperunt.

Hercyllides, dux in [136] hoc bellum ab illis electus, quùm videret sibi adversùs duos præfectos Artaxerxis, Persarum regis, Pharnabazum et Tissaphernem, esse dimicandum, pacificari cum altero decrevit.

Tissaphernem igitur potiùs in colloquium vocavit, pacisque leges cum illo statuit.

Pharnabazus contrà regem hortatus est ut, in locum Tissaphernis, ducem classis eligeret Cononem Atheniensem, qui tum Cypri [137] exsulabat.

Rege annuente, acceptisque quingentis talentis, jussus est Cononem classi præficere.

73. *Agesilao, rey de Esparta, general de los Lacedemonios.*

His cognitis, Lacedæmonii à rege Ægypti Hercynione auxilia per legatos petiverunt.

Ab eo centum triremes et sexcenta millia modiorum frumenti missa sunt.

A ceteris quoque sociis ingentia contraxerunt auxilia.

Sed tanto exercitui et contra tantum ducem deerat dignus [138] imperator.

135 *Certamen* designa frecuentemente, como se ve aquí, un combate singular.

136 *In*, señalando la intencion, el motivo, rige, como se advierte en este parage, al acusativo.

137 *Cypri*. Puede suplirse *in insulâ*, para comprender este genitivo en la pregunta de *ubi*.

138 *Dignus*, digno (de mandar), es decir que estuviese en estado de resistir á Conon.

Socii postulabant ducem Agesilaüm, regem tunc Lacedæmoniorum.

Sed, quia ille erat pede claudus, Lacedæmonii diù dubitavêre an eum copiis præficerent.

Sic enim prædixerat oraculum Apollinis: *Civitas interibit, quum regium claudicabit imperium.*

Postremùm tamen illum ducem elegerunt.

74. *Pasa Agesilao al Asia.—Derrota Conon á los Lacedemonios.*

Agesilaüs itaque cum ingentibus copiis in Asiam profectus est.

Intereà inter classiarios [139] regios coorta erat seditio, quòd jamdudùm à præfectis stipendio essent defraudati.

Conon itaque ad regem ivit, postulavitque sibi dari ministrum impensæ, quia pluribus id mandare perniciosum esset.

Impetrato stipendio, ad classem reversus est.

Deindè multa fortiter feliciterque egit, agros vastavit hostiles, urbesque expugnavit.

Quibus rebus territi Lacedæmonii, revocandum ab Asiâ Agesilaüm ad patriam tuendam decreverunt.

75. *Ardor y nuevos preparativos de Conon para la guerra.*

Interìm Pisandrus, ab Agesilao proficiscente dux patriæ relictus, ingentem classem instruxit, fortunam belli tentaturus.

Necnon [140] et Conon ad pugnam se accingebat, magnâque curâ suos ordinavit.

Summa erat ut utrinquè et ducum et militum æmulatio.

Persæ enim, quibus Conon præerat, nihil magìs cupìebant quàm ut clades toties acceptas ulciscerentur.

Conon verò ipse, qui non tàm Persis quàm Atheniensibus studebat, volebat vincendo recipere patriam, quam victus amiserat.

76. *Obstinado combate. — Conon obtiene la victoria.*

Pisandrus contrà virtutis Agesilaï æmulator erat.

Efficiebat igitur ne ab illius laude decederet.

Eadem militum et regum cura erat; hos [141] major etiam sollicitudo cruciabat.

139 *Classiarios.* Esta voz se aplica á todas las gentes que componen la dotacion de una flota: se forma de la palabra *classis*, armada.

140 *Necnon* llega á ser sinónimo de *quoque*; las dos negaciones se destruyen.

141 *Hos* se refiere á *regum*.

Timebant enim magìs ne Athenienses pristinas opes recuperarent, quàm ne ipsi suas amitterent.

Acriter utrinquè pugnatum est; at Lacedæmonii victi fugam ceperunt.

Deindè victor Conon populum atheniensem, restitutâ dignitate [142], servitute liberavit, multasque etiam recepit civitates.

77. *Nuevas desgracias experimentadas por los Lacedemonios.*

Lacedæmonii tunc temporis contemni à finitimis cœperunt.

Primi igitur Thebani, auxiliantibus Atheniensibus, bellum illis intulêre.

Facto itaque terrestri prælio, eadem fuit adversùs Thebanos, quæ [143] navali pugnâ adversùs Cononem, Lacedæmoniorum fortuna.

In eo bello, Lysander, quo duce Athenienses à Spartanis victi fuerant, interfectus est.

Pausanias quoque, alter dux Lacedæmoniorum, proditionis accusatus, in exsilium abiit.

78. *Avanzan los Tebanos hácia Lacedemonia. — Combate y victoria de los Tebanos.*

Thebani, sic victoriâ potiti, universum exercitum ad urbem Lacedæmoniorum duxerunt.

Hanc facilè expugnaturi sibi videbantur [144], quoniam hostes deserti à sociis omnibus erant.

Lacedæmonii igitur regem suum Agesilaüm ad defensionem patriæ ex Asiâ revocaverunt.

Occiso enim Lysandro, nullo in altero duce fiduciam habebant.

At serus nimiùm Agesilaï adventus fuit.

Quùm enim à Thebanis magìs ac magìs premerentur, conscripto exercitu, obviàm hosti processerunt.

Sed, nec animo [145] nec viribus pares, fusi iterùm fuerunt.

79. *Obtiene Agesilao la victoria sobre los Tebanos. — Envian los Atenienses un ejército en su socorro.*

Dùm hæc agerentur, tandem supervenit rex Agesilaüs.

142 *Dignitate*, la categoría que Atenas habia alcanzado, su preponderancia entre los demas pueblos de Grecia.

143 *Quæ*, suple *fuerat*.

144 *Sibi videbantur*, se figuraban.

145 *Animo*. Los Lacedemonios carecian de valor, porque no tenian á su cabeza un general en el cual tuviesen confianza.

Qui, quùm egregiis præesset copiis, restituto p ælio, non difficulter victoriam hostibus eripuit; ipse tamen graviter vulneratus est.

Quibus rebus cognitis, Athenienses timuerunt ne Lacedæmonii, iterùm victores, in pristinam servitutem ipsos redigerent.

Summâ igitur celeritate contraxerunt exercitum, quem in auxilium Thebanis duci [146] jusserunt.

Huic exercitui præfecerunt juvenem viginti quidem annos natum, sed magnæ virtutis, nomine Iphicratem.

80. *Vuelve Conon á Atenas y repara las ruinas de esta ciudad.*

Conon quoque, audito reditu Agesilaï, ipse ex Asiâ celeriter reversus est.

Tunc agros Lacedæmoniorum depopulari cœpit.

Itaque Spartani, undiquè profligati, ad summam desperationem devenerant.

Sed Conon, vastatis hostium terris, Athenas revisere statuit.

Ibi magno [147] civium gaudio exceptus, magnum tamen ex dirutâ à Lacedæmoniis patriâ dolorem cepit.

Ædificia igitur tùm incensa, tùm eversa, reficienda curavit [148].

Quingenta etiam pecuniæ talenta, quæ à Pharnabazo acceperat, civibus suis donavit.

81. *Restablece el rey de los Persas la paz entre los Griegos.*

Dùm ità se res haberet, Artaxerxes, rex Persarum, in Ægypto bellum susceperat.

Exercitus suos è Græciâ reducere igitur decrevit.

Itaque legatos in Græciam misit, per quos jussit omnes ab armis discedere.

Civitatibus simul Græciæ libertatem suaque omnia [149] restituit.

Fessi tot et tantis bellis Græci, jubenti regi cupidè paruerunt.

Hic annus non tantùm insignis fuit, eò quòd repentè pax totâ in Græciâ facta est, sed etiam eò quòd eodem tempore urbs romana à Gallis capta fuit [150].

146 *Duci*, ínfinit. pas. de *duco*.

147 *Magno*, suple *cum*.

148 Deben observar los niños el frecuente uso que se hace en latin del participio pasivo concordando con el régimen del verbo.

149. *Suaque omnia*. Es menester suplir aquí *bona*, ò quizá mejor *jura*.

150 Antes de J. C. 385.

82. *Altérase la paz, gue es vuelta á pedir y obtenida por los Lacedemonios.*

Sed Lacedæmonii, pace ruptâ, Arcadibus bellum intulêre.

Itaque, conscripto armatoque exercitu, Arcades etiam Thebanos vocaverunt in auxilium.

In eo bello Archidamus, dux Lacedæmoniorum, vulneratus fuit.

Qui quùm suos jam propè victos videret, corpora interfectorum ad sepulturam [151] per præconem poposcit.

Hoc erat enim apud Græcos signum victoriæ traditæ.

Quâ confessione contenti Thebani, signum parcendi dederunt.

83. *Tratan los Tebanos de apoderarse de Lacedemonia bajo la conducta de Epaminondas.*

Dùm Lacedæmonii alia bella adversùs finitimos gererent, Thebani, Epaminondâ duce, occupandæ urbis eorum spem conceperunt.

Noctis igitur principio, Lacedæmona profecti sunt; nec tamen incautos aggredi potuerunt.

Senes quippè, qui adventum hostium præsenserant, iis armati occurrerunt.

Adversùs quindecim millia hominum, centum jam effœtæ ætatis viri pugnæ se obtulerunt.

Aut vincendum aut moriendum sibi esse rati [152], impetum hostium fortiter sustinuêre.

In eo prælio duo duces hostium ceciderunt.

84. *Victoria de los Tebanos. — Herida y muerte de Epaminondas.*

Agesilaüs autem cum exercitu adventabat; quâ re auditâ, Thebani recesserunt.

Nec tamen bellum diù dilatum [153] fuit, victoriaque Thebanorum fuit.

At Epaminondas, dùm fortissimi ducis officio fungerétur, graviter vulneratus est.

151 *Ad sepulturam*, tradúzcase como si dijese *ut ea sepeliret.*

152 *Vincendum aut moriendum sibi esse rati*, persuadidos de que era menester vencer ò morir. Por este ejemplo se conoce perfectamente el sentido del participio pasivo en *dus.*

153 *Dilatum*, participio pasivo de *differo.*

Quo cognito, quùm Thebani dolore metuque perculsi, Lacedæmonii verò stupore gaudioque affecti fuissent, à prælio utrinquè discessum fuit.

Post paucos dies, Epaminondas decessit, cumque illo vires reipublicæ Thebanorum interierunt; ità ut patriæ gloria et nata et exstincta cum eo fuerit.

85. *Cualidades de Epaminondas.*

Hunc antè ducem Thebani nullum memorabile bellum gesserant.

Nec posteà virtutibus [154], sed cladibus, insignes fuerunt.

Fuit autem incertum civis melior an dux esset Epaminondas.

Imperium enim non sibi, sed patriæ quæsivit, et pecuniæ adeò parcus fuit, ut sumptus funeri defuerit [155].

Gloriæ quoque non fuit cupidior quàm pecuniæ, honoresque ità gessit, ut dignitas non sibi, sed ipse dignitati ornamento esse videretur.

Deniquè ad insignem rei militaris scientiam in illo accedebat litterarum studium, miraque philosophiæ doctrina.

86. *Rasgo memorable de Epaminondas antes de espirar.*

Neque ab hoc vitæ proposito moriens discessit.

Vulnere gravi accepto, relatus fuerat in castra semianimis.

Postquàm vocem spiritumque recepit, id unum à circunstantibus requisivit, nùm sibi cadenti scutum ademisset hostis [156].

Quod ut servatum audivit, afferendum illud statìm sibi curavit, osculatusque fuit.

Quæsivit iterùm utri [157] vicissent.

Ut audivit Thebanos, benè rem se habere dixit, atque ità, gratulabundus patriæ, exspiravit.

87. *Decadencia de los Griegos despues de la muerte de este caudillo.*

Hujus morte etiam Atheniensium virtus intercidit.

Siquidem, quùm insignem hunc æmulum amisissent, non, ut olìm,

154 *Virtutibus* no significa aquí *virtudes*, sino proezas, acciones de valor.

155 *Ut sumptus funeri defuerit*, que no tuvo para, que no dejó de qué pagar sus funerales.

156 Era cosa vergonzosa entre los Griegos el volver del combate sin e escudo.

157 *Utri*, quién, cuál de los dos partidos, el de los Lacedemonios ó el de los Tebanos.

in classes exercitusque comparandos, sed in ludos spectaculaque reditus publicos effuderunt.

Tunc etiam vectigal publicum, quo anteà milites et remiges alebantur, cum populo [158] divisum fuit.

Quibus rebus factum est ut, obscurum anteà Macedonum nomen innotuerit, et Philippus, eorum rex, Græciæ degeneri jugum servitutis brevì facilèque imposuerit.

88. *Orígen de Macedonia: su situacion, sus primeros reyes.*

Macedonia primùm Emathia vocabatur.

Ut incrementa ejus modica, sic termini perangusti fuerunt.

Quæ regio in veteri Thraciâ sita erat [159].

Primus rex illius fuit Caranus, à quo condita fuit.

Urbem Edessam, quam jussu oraculi acceperat, regni sedem statuit.

Expulit deindè Midam regem, qui portionem Macedoniæ quoque tenebat.

Pulsis etiam aliis regibus, in locum omnium successit solus, èque variis illis gentibus unum corpus Macedoniæ fecit.

89. *Pérdicas señala á su hijo el lugar escogido para su sepultura y la de los reyes sus sucesores.*

Post hunc Perdiccas regnavit, cujus vita illustris fuit.

At illius jamjàm morituri postrema verba fuêre quoque memorabilia.

Siquidem moriens Argæo filio monstravit locum in quo ipse condi vellet.

Ibi non sua tantùm, sed etiam succedentium [160] sibi regum ossa poni jussit.

«Etenìm, inquit illi, quamdiù meum illud præceptum servabitur, »regnum in familiâ manebit.»

Argæus, quùm moderatè regnavisset, successorem filium reliquit Philippum.

158 *Cum populo*, tradúzcase como si no hubiese preposicion, ó *inter populum*.

159 La Macedonia, propiamente dicha, formaba una comarca separada y situada al norte de la Grecia.

160 *Succedentium*. Es necesario dar á esta voz un sentido futuro: de los reyes que habian de sucederle.

Qui, immaturâ morte raptus, Europum, parvulum admodùm, hæredem instituit.

90. *Hacen los Ilirios guerra á los Macedones.—Vencedores al primer encuentro, son vencidos despues.*

Macedones, quotidiano armorum exercitio indurati, gloriâ artis bellicæ finitimos [161] terrebant.

Illis igitur assidua certamina cum Thracibus et Illyriis erant.

At Illyrii, infantiam regis pupilli contemnentes, bello Macedonas aggressi fuêre.

Hi, prælio fusi, rege suo in cunis prolato et ponè aciem posito, certamen acriùs repetiverunt.

Tunc vicissìm magnâ cæde [162] Illyrios fudêre.

Sic ostenderunt hostibus suis priori prælio regis sui auspicia, non virtutem Macedonibus defuisse.

De Europo nihil ampliùs ad nos pervenit.

91. *Continuacion de los reyes de Macedonia.*

Huic Amyntas successit, vir et belli et animi virtutibus [163] admodùm clarus.

Cujus filius et successor fuit Alexander, qui suâ etiam virtute regnum ampliavit.

Alexandro mortuo, regnum Macedoniæ ad Amyntam alterum pervenit.

Hic quoque insignis industriâ et omnibus imperatoriis dotibus instructus fuit.

Ex Eurydice, uxore suâ, tres filios sustulit, Alexandrum, Perdiccam, et Philippum Alexandri Magni patrem.

Cum Illyriis Olynthiisque gravia bella gessit.

Tandem senex decessit, regnumque Alexandro ex filiis maximo [164] tradidit.

92. *Muerte de Alejandro y de Pérdicas.*

Alexander initio regni grave bellum cum Illyriis suscepit.

161 *Finitimos*, suple *populos*.

162 *Magna cæde*, causándoles gran pérdida.

163 *Belli et animi virtutibus*, las cualidades que forman al guerrero y las cualidades del alma.

164 *Maximo*, suple *natu*, el mayor en edad, el primogénito.

At brevì, Philippo fratre dato obside, pactâque mercede, pacem ab iis impetravit.

Interjecto quoque tempore, per eumdem obsidem cum Thebanis sibi pacem conciliavit.

Quæ res Philippo maxima incrementa egregiæ indolis dedit.

Dùm enim sic Thebis obses habitaret, prima pueritiæ præcepta in domo Epaminondæ, summi et philosophi et imperatoris, accepit.

Nec multò pòst, Alexandro mortuo successit frater Perdiccas, qui, brevì quoque moriens, Amyntæ filio, adhùc parvulo regnum reliquit.

93. *Filipo, tio del legítimo rey, ocupa el trono por la voluntad del pueblo.*

Philippus tunc, ut potè regis pupilli avunculus, rem publicam administravit.

At, quùm bella graviora Macedoniæ imminerent, compulsus à populo [165], regnum suscepit.

Ut est adeptus imperium, magna de illo spes omnibus fuit.

Itaque curavit ut exspectationem publicam sustineret.

Macedonia tunc, continuis bellis exhausta, jamjàm opprimenda erat.

Summâ igitur providentiâ summa mala curare statuit.

Quoniam autem hostibus cunctis par esse non poterat, inducias cum aliis, cum aliis pacem composuit.

94. *Restablece y disciplina Filipo el ejército macedon.*

Philippus deindè facillimos [166] hostes bello aggressos devicit.

Quæ victoria trepidos militum animos firmavit, timoremque hostibus injecit.

Tunc in restituendâ militari disciplinâ curam omnem adhibuit.

Quâ etiam in tuendâ constans [167] admodùm et severus ille semper fuit.

Et quidem illud duplici exemplo manifestè constabit.

Miles enim quidam, siti pressus, relictâ statione, potu se recreaverat.

Quapropter illum gravissimâ pœnâ plecti jussit rex.

Alterum ex militibus, qui, quùm in armis stare debuisset, illa posuerat, capitali pœna damnavit.

165 *Compulsus à populo*, impulsado por el pueblo que reconocia la necesidad de un caudillo capaz de resistir á los enemigos de la patria.

166 *Facillimos*, los mas fáciles (de vencer).

167 *Constans*, firme, inflexible.

95. *Derrota Filipo á los Atenienses, los Ilirios y los Tésalos.*

Primum deindè illi cum Atheniensibus certamen fuit.

Illos per insidias vicit, quùmque interficere omnes posset, incolumes tamen sine pretio [168] dimisit.

Indè bello in Illyrios translato, multa millia hostium cecidit [169].

Post hæc urbem Larissam [170] victor cepit.

Jamdudùm exercitui suo thessalos equites adjungere gestiebat.

Thessaliam igitur, nihil minùs quàm bellum metuentem, improvisus expugnavit.

Tunc Olimpiadem, Neoptolemi regis Molosorum filiam, uxorem duxit.

96. *Es herido Filipo en el asedio de una ciudad.*

His ità gestis, Philippus, jàm non contentus summovere bella, ultrò etiam populos quietos lacessivit.

Quùm urbem Methonam oppugnaret, in illum fortè prætereuntem sagitta è muris jacta fuit.

Indè factum est ut dextro oculo privaretur.

Quo vulnere nec segnior in bellum, nec iracundior adversùs hostes factus est.

Imò, interjectis aliquot diebus, pacem orantibus dedit, nec moderatus solùm, verùm etiam mitis adversùs [171] victos fuit.

97. *Concibe Filipo el proyecto de avasallar la Grecia.*

Philippus, ineunte regno, postquàm dissensiones domesticas composuisset, imperium ab impetu omni externo [172] tutum præstiterat.

At, gloriæ majoris appetens, majora etiam iniit consilia.

Græciæ civitates, dùm imperare singulæ cuperent, in mutuum exitium omnes ruebant.

Dùm ità inter se dissiderent, Philippus earum libertate insidiabatur.

Alebat itaque civitatum [173] discordiam, latoque nunc his, nunc

168 *Sine pretio*, sin rescate. Puede explicarse esta locucion supliendo *libertatis*.

169 *Cecidit* es aquí el perfecto de *cædo*.

170 *Larissam*, Larisa, capital de Thesalia.

171 *Adversus* es aquí sinónimo de *in* ó de *erga*.

172 *Ab impetu omni externo*, de todo ataque, de toda invasion extraña.

173 *Civitatum*. La palabra *civitas* designa aquí los pequeños estados que componian la Grecia.

illis auxilio, victos pariter victoresque subire regiam servitutem coegit.

98. *Causas de la servidumbre de Grecia.*

Causa hujus mali Thebani fuêre.

Qui quùm tunc primum inter Græcos locum obtinerent, secundâ fortunâ malè usi sunt.

Victos bello Lacedæmonios et Phocenses apud commune Græciæ concilium superbè accusaverunt.

Lacedæmoniis crimini dabatur, quòd arcem thebanam induciarum tempore occupavissent.

Phocenses verò arguebantur, quòd Bœotiam depopulati essent.

Quamvis levior judicii causa [174] foret, tantâ tamen pecuniâ damnati sunt, ut exsolvere eam non potuerint.

99. *Desesperacion de los Focenses.*

Phocenses igitur, desperatis rebus, Philomelo quodam duce, templum ipsum Apollinis Delphis occupavêre.

Indè, auro et pecuniâ divites, conductis militibus, bellum Thebanis intulerunt.

Omnes quidem sacrilegum Phocensium facinus exsecrabantur.

Magis tamen oderant Thebanos, à quibus illa gens ad hanc necessitatem [175] compulsa fuerat.

Itaque auxilia Phocensibus et ab Atheniensibus et à Lacedæmoniis missa fuerunt.

Primâ autem congressione Philomelus Thebanorum castra cepit.

100. *Confian los Tebanos á Filipo el mando de sus huestes.*

Altero deindè prælio Philomelus, in primâ acie [176] fortiter dimicans, cecidit, sicque sacrilegii pœnas sanguine impio luit.

In hujus locum Onomarchus à Phocensibus dux creatus est.

Thebani contrà Philippum, Macedoniæ regem, ducem elegerunt.

Philippus igitur, quasi sacrilegii, non Thebanorum, ultor esset, omnes milites coronas laureas sumere jussit, atque ità, veluti deo duce, ad prælium processit.

174 *Judicii causa*, los motivos que podian legitimar el juicio.

175 *Ad hanc necessitatem*, á esta necesidad (de quitar los tesoros del templo).

176 *In prima acie*, al frente de batalla, en las primeras filas.

Phocenses verò, conspectis Apollinis insignibus [177], conscientiâ delictorum territi, abjectis armis, fugam ceperunt.

101. *Toman los Atenienses precauciones contra toda invasion por parte de Filipo.*

Athenienses, audito belli eventu, timuerunt ne in Græciam Philippus transire vellet.

Itaque celeriter angustias Thermopylarum, sicuti anteà advenientibus Persis, occupavêre.

Sed nequaquàm nunc erat similis eorum aut virtus aut causa [178].

Tunc enim pro libertate Græciæ, nunc autem pro sacrilegio publico dimicabant.

Tunc à rapinâ hostium templa vindicare, nunc templorum raptores certabant defendere.

Imò nunc illum non dubitabant offendere deum, quo duce tot bella victores egerant, tot urbes condiderant, tantum deniquè imperium terrâ marique quæsierant [179].

102. *Mala fe de Filipo respecto de sus aliados.*

Intereà Philippus malâ fide erga socios agebat.

Civitates enim quarum paulò antè dux fuerat, quæ sub auspiciis ejus militaverant, quæque illi victoriam gratulatæ fuerant, hostiliter occupatas diripuit.

Conjuges liberosque omnium sub coronâ vendidit [180].

Nec deorum immortalium templis, nec ædibus sacris pepercit.

Indè, veluti rebus egregiè gestis, in Cappadociam trajecit, ubi, quùm bellum pari perfidiâ gessisset, captis occisisque finitimis regibus, universam provinciam imperio Macedoniæ adjunxit.

103. *Toma y destruye Filipo la ciudad de Olinto.*

Post hæc Philippus, Olynthios aggressus, eorum urbem occupare statuit.

177 *Insignibus*, las coronas de laurel, árbol consagrado á Apolo.

178 *Aut virtus aut causa*, no combatian ni con el mismo valor, ni por la misma causa.

179 *Quæsierant*, por *quæsiverant*, de *quæro, is, ere*, buscar, aquí significa *adquirir*.

180 *Sub coronâ vendidit*. Ponian una corona en las sienes del esclavo ó cautivo que sacaban á vender.

Receperant enim per misericordiam duos fratres [181] quos Amyntas, ejus pater, ex alterâ uxore susceperat.

Philippus autem, veritus ne isti duo ipsum regno vellent detrudere, interficere eos gestiebat.

Ob hanc igitur causam, urbem Olynthum obsidione tenuit.

Quæ quidem brevì nefariâ civium proditione expugnata fuit.

Urbem captam igne et ferro Philippus diripuit, fratresque [182] crudelissimo affecit supplicio.

Indè prædâ ingenti potitus, ad nova bella properavit.

104. *Devasta Filipo la Tesalia y la Tracia.*

Rex igitur macedo [183] auraria in Thessaliâ, argenti metalla in Thraciâ occupavit.

Piraticam quoque tunc exercere instituit.

Dùm Thraciam depopularetur, fratres duo, reges illius regionis, disceptationum suarum judicem eum elegerunt.

Non quòd justitiæ ejus confiderent, sed quia invicem metuebant ne alterutri perniciem meditaretur.

Philippus autem, pro suo ingenio [184], inopinantibus fratribus, instructo exercitu, supervenit, et regno utrumque, non judicis more, sed fraude et nequitiâ latronis, spoliavit.

105. *Solicitan todos los Griegos la amistad de Filipo.*

Dùm hæc agerentur, legati Atheniensium petentes pacem ad eum venerunt.

Quibus auditis, ipse legatos Athenas cum pacis conditionibus misit.

Ibi ex commodo utrorumque pax facta fuit.

Ceteræ quoque Græciæ civitates, non pacis amore, sed belli metu, legatos ad eum misêre.

Thessali imprimis Bœotiique tantùm Phocenses oderant, ut, obliti cladium suarum, perire ipsi, quàm eos non perdere præoptarent.

Quùm igitur Philippi jugum pati, quàm parcere hostibus suis mallent, regem Macedoniæ oraverunt ut dux belli adversùs Phocenses esse vellet.

181 *Duos fratres.* Estos dos hijos de Amyntas eran por consiguiente hermanos de Filipo.

182 *Fratresque*, suple *suos.*

183 *Macedo*, tradúzcase como si dijera *Macedonum.*

184 *Pro suo ingenio.* Segun la genial índole de su carácter.

106. *Falacia de Filipo.—Apodérase de los Termópilas.*

Phocenses contrà, quibus addiderant sese Lacedæmonii et Athenienses, bellum deprecati sunt [185].

Philippus, cui dolus usquè arridebat [186], secretò audivit cujusque legationes.

Phocensibus pacem pollicitus est, jurejurandoque simul eos obligavit, se responsum nemini prodituros.

Bœotiis verò promisit se contra hostes venturum esse, auxiliumque daturum.

Hos vetuit parare, illos metuere bellum.

Sic variato responso, securis omnibus [187], angustias Thermopylarum facilè occupavit.

107. *Invade y subyuga Filipo la Phócida, con gran matanza de sus moradores y destruccion de sus ciudades.*

Tùm Phocenses, quùm se á Philippo deceptos animadvertissent, trepidi ad arma confugerunt.

Sed neque ad instruendos milites, neque ad contrahenda auxilia tempus illis suppetebat.

Philippus tamen illis excidium minabatur, ni fieret deditio.

Victi igitur necessitate, pactâ salute, se dediderunt.

At, violato fœdere, Philippus victos undiquè sævum in modum cædi jussit.

Eorum urbes solo æquandas curavit, aliosque in alium vicum [188] incolas transtulit.

Unum miseris solatium fuit, quòd Philippus omnem omninò prædam sibi, non autem Bœotiis, vindicaverit.

108. *Destrona Filipo á Arimbas, rey de Epiro.*

At ne proximis quidem [189] ejus furor debellandi pepercit.

185 *Deprecati sunt bellum*, procuraron apartarse de la guerra (con sus súplicas.)

186 *Arridebat*, se sonreia, y *mejor dicho*, gustaba.

187 *Securis omnibus*, mientras que todos se creian seguros.

188 *Aliosque in alium vicum*, quiere decir: *los unos en una aldea, los otros en otra.*

189 *Ne proximis quidem*, ni siquiera los mas allegados (por los vínculos del parentesco).

Siquidem Arymbam, regem Epiri, uxori suæ Olympiadi arctissimâ cognatione junctum, pellere regno statuit.

Alexandrum, uxoris Olympiadis fratrem, in Macedoniam nomine sororis arcessiverat.

Quùm igitur ad viginti annos hic pervenisset, Molossi, á Philippo sollicitati, Arymbam regno detruserunt.

Ereptum deindè Arymbæ regnum Alexandro Philippus tradidit.

At ex isto scelere non diuturnam percepit utilitatem.

Alexandro enim brevì mortuo, Æacidas, Arymbæ filius, Pyrrhique magni pater, regnum Epiri recepit.

109. *Asedia Filipo á Bizancio.*

In Græciam quùm Philippus venisset, ex civitatibus direptis [190] facilè intellexit quantæ opes universarum essent.

Quas ut potiretur, bellum toti Græciæ inferre decrevit.

Quapropter, quùm animadvertisset Byzantium, nobilem et maritimam urbem Thraciæ, receptaculum terrâ marique copiis suis fore, illam exercitu instructo petiit.

At eamdem claudentem sibi portas obsidione cinxit.

Sic enim, quùm è Thraciâ solâ frumenta Athenas adveherentur, commeatu ipso Athenienses intercludere [191] volebat.

110. *Saquea el Chersoneso y lleva la guerra á la Scitia.*

Urbs Byzantium condita primò fuerat à Pausaniâ, rege Spartanorum perque septem annos ab illis possessa fuit.

Deindè autem nunc Lacedæmoniorum, nunc Atheniensium penès potestatem fuerat, tuncque tandem sui juris erat [192].

Itaque, licèt nullis adjuta auxiliis, suam libertatem constantiùs propugnavit.

Philippus verò, longâ obsidione fessus, profectus est cum fortissimis sui exercitùs viris, multasque Chersonensium urbes expugnavit.

In Scythiam quoque, prædandi causâ, transiit; sic enim volebat novo bello damna reficere.

111. *Causas de la guerra de Scitia.*

Hæc autem belli scythici causa fuit.

190 *Ex civitatibus direptis*, segun las ciudades saqueadas, esto es, segun el botin que habia sacado de las ciudades robadas.

191 *Commeatu ipso intercludere*, cortar hasta los víveres.

192 *Sui juris erat*, era independiente, se gobernaba por sus propias leyes.

Atheas, rex Scytharum, quùm ab Istrianis bello premeretur, auxilium à Philippo petiverat, multa pollicitus.

At interìm rex Istrianorum decedens [193], et metu belli et auxiliorum necessitate Scythas solvit.

Itaque Atheas, remissis Macedonibus, renuntiari hæc Philippo jussit: «Nos neque auxilium petiimus tuum, neque quidquam tibi debemus; »Scythæ non Macedonibus egent, quò fiant bello meliores; scito præ»tereà mihi filium esse incolumem; hæres itàque regni non mihi »deest.»

112. *Envia Filipo embajadores al rey de los Scitas.*

His auditis, Philippus legatos ad Atheam continuò misit.

Qui, quùm regem scytham adissent, ab illo summam duntaxat pecuniæ petiverunt, ut sumptibus itineris suscepti [194] satisfieret.

Atheas verò inclementiam cœli et terræ sterilitatem causatus est.

«Scythæ, inquit legatis, patrimoniis indigent, agerque hujus regio»nis vix alimenta præbet.»

«Nullæ mihi sunt opes, quibus tantum regem expleam [195], tur»piusque mihi videtur parùm offerre, quàm totum abnuere.»

«Scythæ deniquè virtute animi, non opibus, æstimantur.»

113. *Ataca Filipo y vence á los Scitas.*

Quibus verbis factisque derisum se Philippus animadvertit.

Solutâ itaque Byzantii obsidione, bellum scythicum aggressus est.

Animis utrinquè irritatis, prælium committitur.

Virtute et numero præstabant Scythæ; at Philippi astu devicti fuerunt.

Viginti millia puerorum ac feminarum capta fuêre, visque magna pecoris [196], auri verò argentique nihil.

Usus enim pecuniæ apud Scythas nondùm valebat.

Viginti quoque millia nobilium [197], equarum ad genus faciendum in Macedoniam missa fuerunt.

193 *Decedens* (*è vitâ*), saliendo de esta vida, muriendo.

194 *Itineris suscepti.* Se trata de los gastos de marcha para el ejército.

195 *Quibus tantum regem expleam*, por medio de las cuales pueda yo satisfacer á un monarca tan grande, que sean dignas de serle ofrecidas.

196 *Visque magna pecoris.* Como tambien una gran cantidad de ganado menor.

197 *Nobilium.* De buena raza.

114. *Arrebatan los Tribalios á Filipo todo el botin que habia hecho á los Escitas.*

Sed Philippo ab Scythiâ revertenti Triballi occurrerunt.

Negabant se transitum illi daturos esse [198], ni portionem prædæ scythicæ acciperent.

Hinc ortum est grave jurgium, moxque prælium commissum fuit, in quo acerrimè dimicatum est utrinquè, utrinquè plurimi cecidêre.

Ibi etiam in femore vulneratus est Philippus, equusque, cui insidebat, interfectus est.

Alexander periclitanti patri in auxilium advolavit, dùmque illum clypeo tegeret, obvium quemque [199], aut occidit aut fugavit.

Quùm autem omnes Philippum occisum putarent, orta est inter Macedones magna perturbatio, prædaque scythica amissa fuit.

115. *Declara Filipo la guerra á los Atenienses.*

Ubi verò primùm Philippus ex vulnere convaluit, dissimulatum diù bellum Atheniensibus intulit.

Atheniensium partes susceperunt [200] Thebani, iisque se junxêre, metuentes ne, victis Atheniensibus, incendium belli brevi ad se transiret.

Facta igitur fuit inter duas paulò antè infestissimas civitates societas.

Tunc missi ab iis hùc illùc legati, Græciam omnem ad arma sollicitaverunt.

Putabant enim communem hostem communibus viribus esse submovendum.

Prætereà non illos fugiebat Philippum, si initia prosperè successissent, non esse cessaturum [201], donec omnem domuisset Græciam.

116. *Batalla de Cheronea.—Son vencidos los Griegos.*

Multæ igitur civitates adversùs hostem communem Atheniensibus se junxerunt.

Quasdam autem ad Philippum belli metus traxerat.

198 *Se transitum illi daturos esse*, que no le franquearian el paso.

199 *Obvium quemque*, á cuantos se le presentaban.

200 *Partes susceperunt*, abrazaron el partido.

201 *Non esse cessaturum*, que no habia de descansar.

Ad Chæroneam, Bœotiæ urbem, castra metati sunt duo exercitus.

Dato primâ luce signo prælii, utraque acies magno impetu fortiterque pugnavit.

Athenienses multò majori militum numero præstabant.

At virtus Macedonum, bellis assiduis indurata, prævaluit.

Græci igitur victi magnam quidem, sed pristinâ glorià dignam cladem [202] accepêre.

Hic dies universæ Græciæ et imperium, et vetustissimam libertatem finivit.

117. *Moderacion de Filipo respecto de los Atenienses.*

Hujus victoriæ lætitiam Philippus callidè dissimulavit.

Non solita sacra illâ die fecit; non lætitiam et ludos inter epulas adhibuit, non coronas aut unguenta sumpsit.

Sed, quantùm in illo fuit, ità vicit, ut victorem nemo sentiret [203].

Non regem se Græciæ, sed ducem appellari jussit.

Atheniensibus, quos expertus fuerat infensissimos, et captivos gratis [204] remisit, et mortuorum corpora sepulturæ reddidit.

Super hæc Alexandrum filium cum amico Antipatro Athenas misit, qui pacem cum his amicitiamque jungerent.

118. *Maltrata Filipo á los Tebanos.*

Non autem ità moderatè se gessit in Thebanos Philippus.

Non solùm enim captivos vendidit, sed etiam principes civitatis [205] alios securi percussit, alios in exsilium redegit, bonaque omnium occupavit.

Plurimi cives, qui partes Philippi secuti fuerant, in exsilium ejecti fuerant.

Eos omnes in patriam restituit, trecentosque ex horum numero civitati judices rectoresque dedit.

Qui brevì in jus eos vocaverunt, per quos exsilium passi fuerant.

202 *Pristina glorià dignam cladem.* Una derrota digna de su antigua gloria, esto es; una derrota en la que no quedó desmentida su antigua reputacion.

203 *Ut victorem nemo sentiret*, literalmente, que nadie notó (en él) al vencedor, que se echase de ver que habia alcanzado la victoria.

204 *Gratis*, sinónimo de *sine pretio*, expresion que ya encontramos mas arriba.

205 *Principes civitatis*, los próceres de la ciudad (de Tébas).

At hi omnes se auctores exsilii confessi sunt, seque ità optimè de patriâ meritos esse liberè ac palàm contenderunt.

119. *Hace Filipo que se le nombre general de los Griegos contra los Persas.*

Compositis in Græciâ rebus [206], Philippus omnium civitatum legatos evocari Corinthum jussit.

Ibi pacis leges universæ Græciæ pro meritis singularum civitatum statuit.

Soli Lacedæmonii et leges et regem contempserunt, respuerunt-que pacem quæ à victore ferebatur.

Deindè in hoc Græcorum concilio se ducem belli adversùs Persas declarandum curavit.

Jamdudùm enim imperium Persarum suam in ditionem redigere cupiebat.

Initio veris igitur duces duos in Asiam minorem, Parmenionem scilicet et Attalum, præmisit.

120. *Repudia Filipo á Olimpias y se casa con Cleópatra.*

Dùm sic Philippo fortuna foris faveret, dissidia perturbatioque domi [207] illum agitabant.

Pudicus ipse parùm, impudicitiam Olympiadis suæ uxoris suspicabatur.

Illam igitur, seu jure, seu immeritò, non dubitavit repudiare.

Cujus [208] in loco Cleopatram, Attali sororem, in matrimonium recepit.

Quo facto Alexander patri iratus, se in Epirum cum matre, indè ad regem Illyriorum, contulerat.

Deindè Philippus, antequàm in Asiam proficisceretur, res domesticas voluit planè componere.

Dùm igitur belli apparatus perficeretur, nuptias Cleopatræ filiæ et Alexandri, quem regem Epiri fecerat, celebrare statuit.

121. *Muerte de Filipo.*

Tandem dies celebrandis nuptiis dicta [209] supervenit.

206 *Compositis rebus*, arregladas las cosas, pacificadas.

207 *Domi*, lo contrario de *foris*, en lo interior de su reino.

208 *Cujus*, suple, *Olympiadis*.

209 *Celebrandis nuptiis dicta*, fijado para la celebracion del matrimonio.

Celeberrimus aderat conventus, nec ludorum magnificentia deerat.

Ad quorum spectaculum Philippus, medius inter duos Alexandros, filium generumque, sine custodibus procedebat.

Tùm Pausanias, nobilis ex Macedonibus adolescens, nemini suspectus, Philippum in transitu obtruncavit.

Pausanias ille injuriam passus fuerat ab Attalo, quam ægre ferens Philipo sæpè, sed frustrà, querelam detulerat.

Indè iratus regi, ultionem quam ab adversario repetere non poterat, ab iniquo [210] judice exegit.

122. *Retrato de Filipo.*

Decessit Philippus septem et quadraginta annos natus, quùm quinque et viginti annis regnavisset.

Fuit rex armorum quàm conviviorum studiosior, maximæque opes erant illi instrumenta bellorum.

Divitiarum quæstu, quàm custodiâ solertior; itaque inter quotidianas rapinas semper inops erat.

Nulla apud eum turpis ratio vincendi.

Misericordia in eo et perfidia pari gradu eminebant.

Blandus pariter et insidiosus alloquio, plura promittebat quàm præstabat.

Amicitias utilitate, non fide [211] colebat.

Gratiam fingere in odio [212], instruere inter concordantes odia solemnis [213] illi erat consuetudo.

123. *Paralelo entre Filipo y Alejandro.*

Philippo Alexander filius successit, et virtute et vitiis patre superior.

Vincendi ratio utrique erat diversa.

Philippus dolo, Alexander apertè [214] bellum gerebat.

Decipere hostes gaudebat illi, hic palàm fundere.

Prudentior ille consilio, hic animo magnificentior.

Iram pater dissimulare, plerùmque etiam vincere; ubi filius irâ exarsisset, ultionis nec dilatio nec modus erat.

210 *Iniquo*, que le habia negado la justicia.
211 *Utilitate, non fide*, por interés, no por fidelidad.
212 *Gratiam fingere in odio*, ocultar el odio bajo la apariencia de amistad.
213 *Solemnis*, ordinario, constante.
214 *Aperte*, abierta. lealmente.

Vini nimis uterque fuit avidus; sed in ebrietate diversa erat agendi ratio.

Patri mos erat è convivio in hostem procurare, manum conserere, periculis se temerè offerre; filius non in hostem, sed in suos sæviebat.

Quamobrem Philippum sæpè vulneratum prælia remisêre; Alexander amicorum interfector convivio frequenter excessit.

Regnare ille cum amicis nolebat; hic amabat in amicos imperium exercere.

Amari pater malle, filius metui.

Litterarum cultus utrique similis erat.

Solertiæ pater majoris, filius fidei.

Verbis Philippus, Alexander rebus moderatior.

Frugalitati pater [215], filius luxuriæ magis deditus erat.

Quibus artibus orbis imperii fundamenta pater jecit, operis totius gloriam filius consummavit.

124. *Principios del reinado de Alejandro.*

Mortuo Philippo, Alexander filius, cognomine Magnus, circumseptum undiquè periculis assecutus est imperium.

Nam in exercitu Philippi, quemadmodùm variæ gentes erant, sic animorum motus [216] diversi.

Alii quippè injustâ servitute oppressi, spem libertatis animo præcipiebant.

Alii tædio longinquæ militiæ [217], remissam sibi persicam expeditionem gaudebant.

Amicos quoque, tàm subitâ mutatione rerum, non mediocris metus ceperat.

At brevì factum est ut Alexander et metum universis demeret, et spem maximam omnibus faceret.

125. *Alejandro se hace nombrar general de los Griegos contra los Persas.*

Primò, quotquot cædis paternæ causa fuerant, gravissimis affecit pœnis.

215 *Frugalitati pater*, esto no parece muy conforme con lo dicho pocas líneas mas arriba, *vini nimis uterque fuit avidus*.

216 *Animorum motus*, de los afectos.

217 *Longinquæ militiæ*, de un servicio distante, de una guerra en lejanos paises.

Uni duntaxat pepercit, qui regem eum primus salutaverat.

Deindè sepulturæ patris maximam impendit curam.

Macedonibus immunitatem cunctarum rerum, præter militiæ vacationem dedit.

Multa gentes revellantes compescuit, exortasque nonnullas seditiones exstinxit.

Quibus rebus gestis, in Græciam citò contendit, ibìque, exemplo patris, concilio Græcorum generali Corinthum convocato, dux contra Persas fuit designatus.

Pater enim, quod inchoaverat bellum, morte præventus, non consummare potuerat.

126. *Liga de Atenas, de Tebas y de Esparta contra Alejandro.*

In hujus belli apparatu nuntiatum est Alexandro Athenienses, Thebanos et Lacedæmonios ab eo defecisse.

Auctor ejus defectionis erat Demosthenes [218].

Macedonum enim omnes copias eum rege delatas à Triballis affirmaverat.

Quâ opinione mutati omnium fermè civitatum animi fuêre.

His motibus Alexander occurrere statuit.

Instructo igitur exercitu, summâ celeritate in Græciam properavit.

Ità autem festinus in Bœotiam irruit, ut omnes qui per contemptum ab eo erant alienati, perterrefecerit.

127. *Arrepentimiento de los Atenienses.—Hacen la paz.*

Athenienses itaque, qui primi defecerant, primos etiam pœnitere cœpit.

Missis ad Alexandrum legatis, bellum deprecati fuêre.

Quibus [219] auditis atque graviter increpatis Alexander pacem concesit.

In illâ legatione Demosthenes quoque fuit; sed ad Alexandrum non pervenit [220].

218 El célebre orador Demóstenes que habia sido constantemente enemigo de Filipo y que puso término á sus dias con veneno en la isla de Calauria á donde se habia refugiado para sustraerse á la tiranía de Antipatro.

219 *Quibus*, suple *legatis*.

220 *Ad Alexandrum non pervenit*, no llegó hasta Alejandro, cuya presencia temia por haber hablado mal de los Macedones y sobre todo de su rey, segun se dice mas abajo.

A Cytherone enim Athenas reversus est, correptus videlicet timore, quòd frecuenter in suâ republicâ contra Macedonas verba fecisset.

Prætereà de Alexandro et de ejus pueritiâ apud Græcos multa ridiculaque dixerat.

128. *Adoptan los Tebanos el partido de la resistencia.*

Alexander deindè cum exercitu Thebas profectus est.

Thebani autem, precibus uti nolentes, belli discrimen subire constituerunt.

Sanè si pacem petiissent, rex eorum postulatis libentissimè annuisset.

Quùm igitur armis uti decrevissent, Alexander Macedonas at prælium instruxit.

Habebat triginta millia peditum, equitum tria millia, omnes laboribus bellicis exercitatissimos.

Macedonum itaque exercitus erat numero longè superior.

A Thebanis summis viribus atque impigrè dimicatum fuit.

129. *Derrota de los Tebanos. — Toma y saqueo de su ciudad.*

Ad extremum Thebani, undiquè circumventi, victi fusique fuerunt.

Plures sex millibus mortem oppetière, captaque civitas et direpta fuit.

Alexander deindè illam evertere funditùs decrevit, ut tam terribili casu compressi Græci quietiùs in posterum [221] agerent.

Urbe itaque dirutâ, agros in ter victores divisit, trigintaque millia captivorum sub coronâ vendidit, ex quibus quadringentorum quadraginta talentorum [222] argenti summam percepit.

Uni tamen Pindari vatis domui pepercit, ità significans quanti viros doctos faceret.

130. *Rasgo de valor y de firmeza de una ilustre Tebana.*

Dùm thebana civitas miserè diriperetur, insignis quædam mulier à ducem quodam hostium injuriam acceperat.

221 *In posterum*, suple *tempus*.

222 *Quadringentorum quadraginta talentorum*, lo cual formaba una suma considerable, pues que valiendo cada *talento* sesenta *minas*, ascendia á 4,600 pesetas próximamente, ó lo que es lo mismo, á 18,400 reales vellon.

Qui quùm illam rogaret prætereà quidquid auri argentique habebat, solus ab eâ ad puteum seductus est [223], in quo dixerat occultata esse à se quæque pretiosissima.

Dùm autem dux ille super os putei, spectandi causâ, staret inclinatus, illa eum in profundum detrusit, supernèque injectis lapidibus oppressit.

Quo audito, accersitam illam Alexander interrogavit quænam esset.

«Thagenis, inquit, sum soror, qui, contra Philippum electus im»perator, fortiter pugnans pro libertate Græciæ occubuit.»

Magnanimitatem mulieris et constantiam [224] demiratus, liberam eam cum filiis dimisit.

131. *Desobediencia de los Atenienses. — Venganza de Alejandro.*

Athenienses, Thebanorum mala molestè ferentes, summâque adducti commiseratione suam urbem profugis contra regis [225] edictum aperuerunt.

Quam rem quùm graviter tulisset Alexander, ab Atheniensibus pœnas repetere parabat.

Secundâ igitur legatione denuò bellum deprecati sunt.

Alexander illis iterùm quoque concessit pacem, eâ tamen conditione, ut oratores ducesque Athenarum sibi dederentur.

Res tamen eò deducta fuit, ut oratores libertatem impetraverint.

Duces duntaxat in exsilium missi fuerunt, confestimque ad Darium, regem Persarum, profecti sunt.

132. *Entrevista de Diógenes y de Alejandro.*

Crescebat intereà magìs ac magìs belli persici apparatus.

Alexandro plures philosophi et oratores occurrebant gratulabundi.

Solus abfuit Diogenes cynicus, qui tùm versabatur Corinthi, quique, Alexandrum parvi faciens, honorem illi præstare noluit.

Miratus Alexander, ad eum in sole [226] apricantem venit, rogans ut liberè quid vellet proferret.

At ille, «Ut paululùm, inquit, à sole discedas.»

223 *Seductus est*, fue llevado aparte.
224 *Constantiam*, firmeza.
225 *Regis*, suple *Alexandri*.
226 *In sole*, á los rayos del sol.

Quo responso Alexander delectatus, conversusque ad suos, dixit se Diogenem esse velle, si Alexander non esset.

133. *Pasa Alejandro al Asia.*

Adventante autem vere, tandem Alexander ad Hellespontum cum exercitu profectus est.

Græciam Macedoniamque Antipatro, uni ex amicis, priùs regendas commiserat.

Deindè, incredibili mentis ardore accensus, in Asiam trajecit.

Quùm autem in eam pervenisset, primus jaculum, velut in hostilem terram, conjecit; armatusque de navi alacriter prosiluit.

Tùm hostias diis obtulit, precatus ne se regem illa regio invita acciperet.

Ante omnia milites à populatione Asiæ prohibuit, præmonens ne perderent ea quæ veniebant possessuri [227].

134. *Disposicion y estado del ejército Macedon.*

Sed nec alius militum, quàm regis, ardor fuit.

Obliti quippè omnes conjugum liberorumque et longinquæ militiæ, alacres ibant.

Persicum aurum et totius Orientis opes jàm quasi suam prædam ducebant [228], nec belli et periculorum, sed divitiarum meminerant.

Erant in exercitu duo et triginta millia peditum, quinque millia ferè equitum, navesque centum et octoginta.

Alexander etiam secum duxerat ad hoc bellum duntaxat veteranos, qui cum patre patruisque militaverant.

Omnes deniquè victoriam animis conceperant, nec in pedibus cuiquam spes, sed in lacertis fuit [229].

135. *Primera batalla entre los Macedones y los Persas. — Derrota de los últimos.*

Prima igitur congressio Macedonum cum Persis in campis adrastiis fuit.

In acie Persarum sexcenta millia fuêre, quæ, non minùs arte Alexandri quàm virtute Macedonum superata, terga verterunt.

227 *Possessuri*, futuro equivalente de *ut possiderent.*

228 *Ducebant*, creian. Esta acepcion es frecuente.

229 Esta frase significa que los Macedones contaban con la victoria y que jamás habrian menester recurrir á la fuga.

Magna igitur cædes Persarum fuit.

Viginti millia peditum et ducenti quinquaginta equites ceciderunt.

De exercitu Alexandri novem pedites, centumque viginti equites interfecti sunt, quorum cognatis immunitates [230] dedit.

Post victoriam major pars Asiæ ad eum defecit.

Gessit et plura bella cum præfectis Darii, quos jàm non tàm armis quàm terrore nominis sui vicit.

136. *Dirígese Alejandro á Gordio, ciudad de Frigia.*

Dùm hæc agerentur, rex ab indicio captivi accepit insidias sibi à quodam Alexandro Lyncistâ, Macedoniæ præposito, parari.

Quem comprehensum debitâ pœnâ plecti jussit.

Post hæc Gordium urbem petiit, quæ posita est inter Phrygiam majorem et minorem.

Hujus urbis potiendæ cupido eum cepit [231], non tàm propter prædam, quàm quòd in eâ urbe, in templo Jovis, jugum Gordii erat positum.

Prætereà oracula cecinerant [232], si quis ejus nexum solvisset, eum totâ in Asiâ esse regnaturum.

137. *Historia del nudo gordiano.—Trono prometido á Gordio.*

Hæc autem illius rei causa fuit et origo.

Gordius quidam quùm in his regionibus terram araret, aves omnis generis eum circumvolare cœperunt.

Quo viso miraculo, ad consulendum augures vicinæ urbis profectus est.

At, quùm obviam in portâ habuisset virginem eximiæ pulchritudinis, eam percontatus est quem potissimùm augurem consuleret.

Illa, auditâ causâ, artis consulendi gnara, regnum ei portendi respondit, seque et matrimonii et regni sociam proposuit.

Tam pulchra conditio primus regni gradus [233] Gordio visa fuit.

230 *Immunitates*, excepciones de impuestos y servicios, á título de indemnizacion de la pérdida que habian sufrido.

231 *Cupido eum cepit*, le asaltó el deseo.

232 *Cecinerant*, habian predicho. *Canere*, se emplea hablando de los oráculos, porque daban en verso sus respuestas.

233 *Primus regni gradus*, el primer grado de la potestad real, el primer paso hácia el trono.

138. *Es Gordio elegido rey.*

Nuptiæ autem primò celebratæ sunt; orta est deindè inter Phrygas seditio.

Quâ de re consulentibus iis oracula responsum est, rege iis opus esse.

Quùm iterùm quæsivissent quis rex esset eligendus, jussi sunt regem eligere, quem primùm in templum Jovis plaustro euntem reversi reperirent.

Obvius illis Gordius in plaustro fuit, statìmque eum regem consalutaverunt.

Ille plaustrum illud in templo Jovis reposuit.

Alexander igitur, captâ urbe, quùm in templum Jovis venisset, jugum plaustri requisivit.

Jugum illud erat notabile [234], ut potè adstrictum compluribus nodis in semetipsos implicatis.

139. *Corta Alejandro con su espada el nudo gordiano.*

Jugo igitur exhibito, solvere inexplicabilia vincula loramentorum Alexander aggressus est.

Regem circumstabat et Phrygum et Macedonum turba.

Illi novæ rei exitum cupidè exspectabant; hi incusabant temerariam regis fiduciam.

At ille, nequidquàm diù luctatus, quùm capita [235] loramentorum intra nodos abscondita reperire non posset, «Nihil, inquit, interest, quomodò solvantur.»

Deindè omnia lora rupit gladio, sicque oraculi sortem [236] vel elusit vel implevit.

140. *Toma de Tarso.—Alejandro cae mortalmente enfermo.*

Hæc agenti Alexandro nuntiatum est Darium cum exercitu ingenti adventare.

Timens itaque ne angustiis circumveniretur, magnâ celeritate Taurum transcendit.

234 *Notabile*, digno de ser notado.

235 *Capita*, las extremidades, las puntas.

236 *Sortem*, la prediccion, el sentido.

Quùm deindè Tarsum [237] venisset, eam ab incendio servavit; huic enim urbi Persæ ignem subjecerant, ne opes ejus Macedonum præda fierent.

Flumen Cydnus, aquarum liquore memorabilis, per Tarsum influit medium.

Alexander autem, fluminis amœnitate captus, pulvere ac sudore perfusus, projectis armis, in præfigidam [238] undam se projecit.

Tùm subitùs nervos ejus occupavit rigor; pallor deindè suffusus est, et totum ferè corpus vitalis calor reliquit.

141. *Confianza de Alejandro respecto de su médico, acusado de traicion.*

Unus ex medicis, nomine Philippus, erat, qui solus remedium polliceretur.

At illum missæ pridiè à Parmenione è Cappadociâ litteræ suspectum faciebant.

Parmenio quippè Alexandro scripserat, ut à Philippo medico caveret, qui videlicet ingenti pecuniâ à Dario acceptâ corruptus fuerat.

Tutius tamen regi visum est, dubiæ medici fidei se credere, quàm indubitato morbo interire.

Accepto igitur poculo, epistolas medico tradidit, atque inter bibendum [239] oculos in vultum ejus legentis intendit.

Quùm autem eum securum adspexisset, lætior factus est, sanitatemque quartâ die recepit.

142. *Dario y Alejandro mueven sus ejércitos uno contra otro.*

Intereà Darius cum quadringentis millibus peditum ac centum millibus equitum in aciem processit.

Hæc multitudo hostium Alexandro quasi sollicitudinem [240] injiciebat.

At interdùm reputabat quantas res cum paucis jàm gessisset.

Itaque quùm spes metum vinceret, ratus periculosius esse differre bellum, ne in desperationem venirent sui, singulos militum ordines allocutus est.

237 Tarso, en Cilicia.

238 *Præfrigidam.* El adjetivo ó positivo precedido de *præ* toma siempre la significacion del superlativo.

239 *Inter bibendum*, estando bebiendo, mientras bebia.

240 *Quasi sollicitudinem*, cierta inquietud.

Illyrios et Thraças maximarum opum ostentatione [241], Græcos veterum adversùs Persas bellorum memoriâ, cohortatus est.

Macedonas autem et Europæ victæ et Asiæ vincendæ, quæ meta [242] erat laborum, admonuit.

143. *Batalla de Iso.*

Nec minor in acie ordinandâ Darii regis opera fuit.

Ipse quippè omnia circumibat, hortabatur singulos, et veteris gloriæ admonebat.

Post hæc prælium ingentibus animis commissum fuit.

In eo [243] uterque rex vulneratus est.

Tamdiù certamen anceps fuit, quoad fugeret Darius; tunc autem cædes Persarum secuta fuit.

Cæsa fuêre peditum sexaginta millia; decem verò millia interfecta equitum; capta quadraginta millia.

Ex parte autem Alexandri cecidêre pedites centum triginta, equites verò centum et quinquaginta.

In castris Persarum ingens auri argentique pondus inventum est.

144. *Cae en poder de Alejandro la familia de Dario.*

Inter captivos mater et uxor filiæque duæ Darii fuerunt.

Ad quas visendas consolandasque Alexander venit.

At illæ, conspectis militibus armatis, invicem se amplexæ sunt, et velut statîm morituræ, magnum clamorem ediderunt.

Provolutæ deindè genibus Alexandri, vitam orant, donec Darii corpus sepeliverint.

Motus tantâ mulierum pietate Alexander, et Darium vivere dixit, et mortis metum dempsit, easque haberi ut [244] reginas voluit.

Filias quoque non indignum genere suo matrîmonium sperare jussit.

Tùm mater Darii allevari se passa est.

145. *Toman las dos reinas prisioneras á Efestion por el rey.*

Quàdam die reginarum in tabernaculum Alexander unà cum Hephæstione intraverat.

241 *Maximarum opum ostentatione*, mostrándole muchas riquezas. Los Ilirios y los Traces solo tenian en cuenta el saqueo.

242 *Meta*, el término, el fin.

243 *In eo*, suple *prælio*.

244 *Haberi ut*, ser miradas, ser tratadas como.....

UNIVERSIDAD DE MALAGA BIBLIOTECA GENERAL

Is longè omnium amicorum carissimus erat regi, cum ipso pariter educatus, secretorum omnium arbiter [245].

Sicut ætate par erat Alexandro, ità corporis habitu præstabat.

Ergò reginæ illum regem esse ratæ, suo more [246] veneratæ sunt.

At quibusdam, uter Alexander esset, monstrantibus, Sisygambis advoluta est pedibus regis, veniam petens, ex eo quòd nunquàm anteà visum illum ignoraret.

Quam manu allevans rex, «Non errâsti, inquit, ô mater! nam et [247] hic Alexander est.»

146. *Pasa Alejandro á Siria y destrona algunos reyes de esta comarca, entre ellos al de Sidon.*

Alexander partem exercitûs sui ad recipiendas Asiæ civitates miserat.

Quæ statìm, auditâ Darii clade, in potestatem victorum venerunt.

Tunc in Syriam profectus est, ubi multi Orientis reges cum donis illi advenienti obviàm processerunt.

Ex his alios in societatem recepit, aliis autem regnum ademit, inter quos fuit Strato, rex Sidoniæ, qui deditionem magìs popularium voluntate quàm suâ sponte fecerat.

Regno igitur indignus Alexandro visus est, Hephæstionique permissum fuit [248] ut, quem è Sidoniis dignissimum arbitraretur, eum constitueret regem.

Hephæstio autem neminem Abdalonymo quodam potiorem judicavit.

147. *Abdalónimo, rey de Sidon.—Sus palabras á Alejandro.*

Abdalonymus autem, licèt è stirpe regiâ natus, ob inopiam suburbanum hortum colebat.

Quùm venerunt illum regem salutaturi, tunc fortè steriles herbas eligens hortum repurgabat.

Somnio similis res Abdalonymo visa fuit; sed, ut [249] vestem purpurâ auroque distinctam jussu illorum induit, fidemque eorum accepit, iis comitantibus ad regiam contendit.

245 *Arbiter*, juez, aquí confidente.
246 *Suo more*, á su manera, conforme á la costumbre de su pais.
247 *Et*, tambien.
248 *Permissum fuit*, (el cuidado) fue confiado.
249 *Ut*, desde que.—Constrúyese en este sentido con el indicativo.

Alexander, admissum illum contemplatus: «Libet [250], inquit, scire »quâ patientiâ inopiam tuleris.»

Tùm ille: «Utinam ait, eodem animo regnum pati possim! hæ ma»nus suffecêre desiderio meo; nihil habenti, nihil defuit.»

148. *Embajada de los Tirios á Alejandro: declárales sus intentos.*

Jàm tota Syria, jam Phœnitia quoque, exceptâ Tyro, Macedonum erant.

Tyrus et claritate et magnitudine ante omnes urbes Syriæ Phœniciæque memorabilis erat.

Illa civitas facilius societatem quàm imperium Alexandri acceptura videbatur.

Coronam igitur auream magni ponderis per legatos huic regi miserunt Tyrii.

Quo munere gratè [251] accepto, sic legatos benignè allocutus est: «Mihi est in animo Herculi, quem præcipuè colitis, vota reddere; Ma»cedonum enim reges credunt se ab illo deo genus ducere; prætereà »oraculum eâ de re me admonuit.»

149. *Respuesta de los Tirios.—Asedia Alejandro á Tiro y se apodera de ella.*

Quùm legati respondissent templum Herculis extra urbem esse, ibique regem sacra deo facturum esse, non tenuit iram [252] Alexander, urbique minatus est excidium.

Quùm igitur, instructo exercitu, Tyrum petiisset, Tyrii, quos hortati fuerant Carthaginienses ut obsidionem forti animo paterentur, bellum bello repellere paraverunt.

Augebat etiam Tyriis animos reginæ Didonis exemplum, quæ, Carthagine conditâ, tertiam orbis partem armorum vi obtinuerat.

Itaque Macedonum impetum per multos menses obsessi sustinuêre.

Attamen Tyrus septimo mense, postquàm oppugnari, cœperat, tandem capta fuit.

150. *Va Alejandro al templo de Júpiter Ammon.*

Indè Rhodum Alexander et Ægiptum Ciliciamque sine certamine recepit.

250 *Libet* (me) agrada: tradúzcase por el condicional ó pretérito imperfecto de subjuntivo, *me agradaria*, *quisiera*.

251 *Gratè*, con reconocimiento.

252 *Non tenuit iram*, no pudo contener su cólera.

Tunc adire Jovis Hammonis oraculum statuit, et de eventu futurorum et de origine suâ consulturus.

Philippus enim, ultimis [253] vitæ temporibus, Alexandrum non esse suum filium palàm predicaverat.

Quâ de causâ Olympiada, velut stupratam, repudio dimiserat.

Alexander igitur divinam originem acquirere simul et matrem infamiâ liberare cupiebat.

Præmiserat ad templum viros qui, oblatâ ingenti pecuniâ, antistitibus significarent quid sibi responderi vellet.

151. *Es proclamado por los sacerdotes de Ammon, hijo de Júpiter, y vencedor del Universo.*

Alexandrum igitur templum ingredientem antistites ut Jovis filium salutaverunt.

Ille, humanæ sortis [254] oblitus, lætusque dei adoptione, se ait et accipere et agnoscere.

Consuluit deindè an totius orbis imperium sibi destinaret pater.

Responsum est illum terrarum omnium rectorem fore.

Rogavit tertiò utrùm omnes parentis sui interfectores pœnas dedissent.

Sacerdotes negaverunt patrem ejus posse aut interfici aut mori; Philippi autem omnes interfectores supplicia luisse affirmaverunt.

Hinc et Jovis filium appellari se et divinis honoribus coli jussit.

Reversus ab Jovis Hammonis oraculo, Alexandriam condidit.

152. *Hace Darío grandes ofertas para rescatar á los prisioneros, y recházalas Alejandro.*

Darius, quùm Babyloniam profugisset, Alexandrum per epistolas deprecatus est, ut redimendarum captivarum [255] potestatem sibi faceret.

Idcircò in eam rem magnam vim pecuniæ pollicitus fuit.

Sed Alexander adeò non pecuniam oblatam accepit, ut in pretium captivarum regnum omne petiverit.

Interjecto tempore, Darius Alexandro, per alteram [256] epistolam, et filiam in matrimonium et regni partem obtulit.

253 *Ultimis*, puede suplirse la preposicion *in*.

254 *Humanæ sortis*, su condicion humana.

255 *Captivarum* de las prisioneras; es decir, de la madre, de la esposa, de las hijas de Darío y de las mujeres de su séquito.

256 *Alteram*, otra, es decir, una segunda.

Alexander autem Darium jussit se arbitrio victoris permittere.

Tùm, spe pacis amissâ, Darius cum quadringentis millibus peditum et centum millibus equitum obviàm Alexandro processit.

153. *Muerte de la esposa de Darío.—Nuevas proposiciones de este príncipe.*

In itinere nuntiatum est Dario reginam uxorem decessisse, Alexandrumque, quùm ejus mortem multùm doluisset, exsequias benignè honorificèque prosecutum.

Tùm Darius intellexit se verè victum, quùm post tot prælia, etiam beneficiis ab hoste superaretur.

Deos etiam precatus esse fertur, ut, si Alexandrum vincere nequiret, ab illo potissimum [257] vinceretur.

Scripsit itaque et tertiam epistolam, in quâ obtulit majorem partem regni ad flumen usque Euphratem [258], et alteram filiam uxorem; pro reliquis verò captivis triginta millia talentorum.

154. *Batalla de Arbelas.—Derrota total de los Persas.*

Has autem novas pacis conditiones Alexander respuit.

Posterà igitur die rex uterque aciem produxit, commissumque fuit prælium.

Milites utriusque exercitûs ante oculos sui regis mortem occumbere ducebant egregium.

Macedones in hostem à se toties victum cum contemptu ruebant; contrà Persæ mori quàm vinci malebant.

Nunquàm ullo prælio tantùm sanguinis fusum est.

Darius, quùm vinci suos videret, mori voluit et ipse, dubitavitque an fugæ dedecus honestâ morte vitaret.

Sed à proximis [259] fugere compulsus est.

155. *Retírase Darío á Arbelas.*

Darius cum paucis fugæ comitibus ad Lycum amnem contenderat.

Quo trajecto, suaserunt illi quidam ut pontem, ad iter hostium impediendum, solveret.

Diù dubitavit an monentibus obsequeretur; sed brevì intellexit, ponte reciso, tot millia suorum fugientium prædam hostium fore.

257 *Potissimum*, de preferencia, mas bien (que por otro cualquiera).

258 *Euphratem*, el Eufrates tenia su nacimiento en la Armenia.

259 *Proximis*, aquí, los que estaban mas cerca de él, los que le rodeaban

Statuit igitur intactum sinere pontem, abiensque dixit malle se insequentibus iter dare, quàm auferre fugientibus.

Ipse, ingens spatium fugâ emensus, mediâ ferè nocte Arbela [260] pervenit, eòdemque magna pars amicorum ejus ac militum profugerunt [261].

156. *Pérdida de los Persas—Fruto de la victoria de Alejandro.*

Hoc prælio Alexander Asiæ imperium sibi vindicavit, quinto post acceptum regnum anno.

Cecidère Persarum quadraginta millia; inter Macedonas verò minùs quàm trecenti interfecti sunt.

Paulò pòst ipsi tradita sunt Arbela regiâ suppellectili Dariique gazâ repleta, in quibus præterea quadraginta millia talentorum invenit.

Expugnavit deindè Persepolin, caput regni persici; urbem multis annis illustrem, refertamque orbis terrarum spoliis.

Deniquè posthàc tantâ felicitate usus est [262], ut nemo rebellare ausus fuerit, Persæque patienter jugum servitutis acceperint.

157. *Traicion de dos capitanes de Darío que conspiran contra él.*

Darius fugiens jàm Ecbatana, caput Mediæ, pervenerat.

Adire deindè Bactra decreverat: sed, veritus ne celeritate Alexandri anteverteretur, consilium iterque mutavit.

Triginta millia peditum eum sequebantur, in quibus Græcorum [263] erant quatuor millia.

Prætereà funditorum et sagittariorum quatuor millia, equitumque tria millia.

Cum his novum inire prælium statuerat, fugere diutiùs turpe ratus.

Duo autem ex suis præfectis comprehendendi illius et vinciendi nefarium ceperant consilium.

Illud verò peregerunt eâ mente ut, si Alexander eos insecutus foret, tradito rege vivo, inirent gratiam [264] victoris; sin autem eum effugere possent, interfecto Dario, regnum occuparent.

260 *Arbela*, plur. neut., Arbelas, ciudad de Mesopotamia.

261 *Profugerunt*, es plural que concierta con un singular partitivo.

262 *Tanta felicitate usus est*, tuvo tanta dicha, tanta fortuna.

263 Estos eran griegos mercenarios.

264 *Inirent gratiam*, literalmente *entrarian en el favor*; en castellano *conquistarian la merced*.

158. *Es asesinado Darío por los que le habian vendido.*

Darius, ità comprehensus, in sordidum vehiculum pellibus undiquè contectum impositus, Bactra perductus fuit.

Alexander verò fugientes Persas insequi pergebat strenuè.

Jàmque illis instabat, quùm fama illius [265] adventûs pavidos in fugam eos convertit.

Tunc duo præfecti vehiculum Darii assecuti, cœperunt eum hortari ut conscenderet equum, seque hosti fugâ eriperet.

Ille, Alexandri fidem implorans, negavit se velle parricidas comitari.

Tùm verò, irâ accensi, tela conjecerunt in regem, multisque confossum vulneribus reliquerunt.

159. *Descubre un soldado macedon á Darío en situacion tan deplorable.*

Deindè barbari illi, prout quemque aut spes ducebat aut pavor, alii aliò dilapsi sunt.

Interìm jumenta quæ Darium vehebant, nullo regente, æstu fatigata, in quâdam valle constiterant.

Haud procul erat fons, ad quem macedo miles, nomine Polystratus, siti consumptus, accessit.

Qui dùm galeâ haustam sorberet aquam, semivivi hominis gemitum audivit.

Itaque, cupidus videndi quid rei [266] in vehiculo isto conderetur, dimotis quibus obtectum erat pellibus, Darium multis vulneribus confossum reperit.

Quem etiam agnitum sitientemque benignè oblatâ aquâ recreavit [267].

160. *Palabras de Darío al morir.—Llora Alejandro su muerte.*

Insigni militis hujus pietate permotus, sic eum compellavit Darius: «Quisquis es, tibi benè merito gratiam, heu! referre nequeo; at certè » referet Alexander, Alexandro verò dii.»

Dextram deindè illi protendit, eamque Alexandro, fidei regiæ pignus [268], ferri jubens, animam efflavit.

265 *Illius*, suple *Alexandri*.

266 *Quid rei*, es mas elegante que *quæ res*.

267 *Recreavit*, reanimó.

268 *Fidei regiæ pignus*, aposicion que se refiere á *eam* (*dextram*).

Alexander, miserabili regis opulentissimi exitu comperto, copiosas profudit lacrymas.

Corpus Darii chlamyde sibi detractâ operuit, regioque more sepeliendum curavit.

Deindè illud magno cum honore ad suos jussit deferri, ut in monumentis majorum collocaretur.

161. *Vuelven los griegos á tomar las armas en la ausencia de Alejandro.*

Dùm ea per Asiam gererentur, ne in Græciâ quidem res tranquillæ fuêre.

Regnabat apud Lacedæmonios Agis, qui, Alexandri virtutum æmulus, suos cives ad regium jugum excutiendum stimulavit.

Occasionem itaque belli et recuperandæ libertatis commodam illi quærebant.

Dùm Alexander abesset, opportunitate temporis usi Lacedæmonii, totum Peloponnesum in suas partes traxerunt, confectoque exercitu viginti millium peditum cum equitibus bis mille, Agidi summam imperii [269] detulerunt.

Græcia ferè omnis, auctoritatem Lacedæmoniorum secuta, ad arma concurrerat.

162. *Son los griegos derrotados enteramente.*

Quâ re cognitâ, Antipater bellum in Thraciâ quâlibet conditione composuit.

Deindè, quùm celeriter in Græciam reversus esset, petita ab amicis sociisque auxilia coegit [270].

Principia ejus belli haud improspera Lacedæmoniis fuêre.

Commissâ tandem pugnâ, magna utrinquè cædes facta fuit.

Agis rex, quùm suos terga dantes videret, cum cohorte regiâ se in medium discrimen [271] immisit, tantamque stragem edidit, ut agmina hostium sæpè fugaverit.

Tandem, lanceâ pectore exceptâ, moribundus in arma procubuit.

Cecidêre Lacedæmoniorum quinque millia; ex Macedonibus autem non ampliùs tria millia.

269 *Summam imperii* por *summum imperium*.

270 *Coegit*, perfecto de *cogo*, reunió.

271 *In medium discrimen*, en medio del peligro, en lo mas recio del combate.

163. *Obtienen los Lacedemonios la paz de Alejandro.*

Hæc victoria non Spartam modò sociosque ejus, sed etiam omnes qui belli exitum exspectaverant, fregit.

Antipater concilium Græcorum, quid sibi [272] de victis placeret, consuluit.

Lacedæmonii nihil aliud precati sunt, quàm ut oratores mittere ad regem sibi liceret.

Ab Alexandro autem veniam defectionis impetravêre.

Megalopolitanis, quorum urbs obsessa erat, Achæi et Ætoli centum et viginti talenta dare jussi fuerunt.

Hic fuit exitus belli, quod, repentè ortum, priùs tamen finitum est, quàm Darium Alexander apud Arbela superaret.

164. *Entrégase Alejandro de lleno á sus pasiones.*

Elato tot victoriis animo, Alexander tùm palàm cupiditates solvit [273] suas, continentiamque et moderationem in superbiam ac lasciviam vertit.

Quasi patrios mores veteremque regum Macedonum disciplinam duceret suâ magnitudine inferiora, purpureum diadema, quale Darius habuit, capiti circumdedit, vestemque persicam sumpsit.

Amicos quoque et principes militum persicum induere cultum [274] jussit.

Inter hæc indignatio omnium animos cepit, quòd, sic à patre degener, patriæ nomen ejuraret, moresque Persarum assumeret.

Ne igitur in seditionem res verteretur, bellum persecutus est.

165. *Discurso de un Escita á Alejandro.*

Alexander ad fines Scythiæ pervenerat, quùm legati Scytharum viginti illius castra adierunt.

Unus autem ex his, maximus natu, ità locutus esse fertur:

« Si dii staturam corporis aviditati animi parem tibi dedissent, or» bis te non caperet [275], alterâ manu orientem, alterâ occidentem con» tingeres.

272 *Sibi*, se refiere á *concilium Græcorum*.

273 *Solvit*, desplegó, desató.

274 *Cultum*, el exterior, la idolatría.

275 *Te non caperet*, no te contendria; puede tambien traducirse, *no cabrias en el orbe*.

» Ab Europâ petis Asiam, ex Asiâ transis in Europam, deindè, si » humanum genus omne superaveris, cum silvis et nivibus et flumini- » bus ferisque bestiis bellum habebis.

» Quid! tu ignoras arbores magnas diù crescere [276], unâ horâ ex- » stirpari.

» Leo quoque aliquandò minimarum avium pabulum fuit, et ferrum » rubigo consumit.

» Quid nobis tecum est? nunquàm tuam terram attigimus.

» Nulli servire possumus, nulli imperare desideramus.

» Dona nobis à diis data sunt, jugum boum, aratrum, sagitta et » patera.

» His utimur et cum amicis et adversùs inimicos.

» Fruges boum labore et aratro quæsitas amicis damus: paterâ vi- » num diis cum his libamus; inimicos sagittâ petimus.

» Sic Syriæ regem, et posteà Persarum Medorumque [277] superavi- » mus patuitque nobis iter usque in Ægyptum.

» At tu, qui te gloriaris ad latrones persequendos venire, omnium » gentium quas adiisti latro es.

» Lydiam cepisti, Syriam occupâsti, Persidem tenes, Bactrianos ha- » bes in potestate, Indos petis; jàm etiam ad pecora nostra avaras et » insatiabiles manus porrigis.

» Quid tibi divitiis opus est, quæ tuam cupiditatem explere ne- » queunt?

» Quò plura habes, eò acriùs quæ non habes cupis.

» At quamvis major fortiorque sis quàm quisquam, tamen alienige- » num dominum nemo pati vult.

» Transi modò Tanaim; scies quàm latè nostri pateant [278] campi; »nunquàm autem Scythas poteris consequi.

» Paupertas nostra velocior erit quàm exercitus tuus qui prædam » tot nationum vehit: eâdem velocitate et sequimur et fugimus.

» Fortuna lubrica est; proindè tuam compressis manibus tene.

» Impone felicitati tuæ frenos; faciliùs illam reges.

» Si deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non autem sua » illis eripere; sin autem homo es, id quod es semper te esse cogita.

» Quibus bellum non intuleris, eorum amicitiâ uteris.

» Nam firmissima est ea quæ exsistit inter pares, amicitia.

276 *Diù crescere*, crecen largo tiempo, es decir, que necesitan mucho tiempo para crecer, para hacerse corpulentos y fuertes.

277 *Medorum*: repítase aquí *regem*.

278 *Quàm... pateant*. *Quàm* significando *que* ó *cuanto* y colocado entre dos verbos, pide el segundo verbo en subjuntivo.

» Illi autem sunt pares qui non fecerunt inter se periculum [279] » virium.

» Quos viceris, ne amicos tibi esse credas; inter dominum et ser- » vum nulla amicitia est.

» Noli credere Scythas jurando fœdus sancire; fidem servamus, non » juramus.

» Qui enim non reverentur homines, fallunt deos.

» Ceterùm, nos hostes an amicos velis esse, considera.»

Alexander se fortunâ suâ ipsorumque consiliis usurum esse respondit, dimissisque legatis, adversùs Scythas processit.

Macedones in hostem clamoribus insolitis vix ruere cœperant, quùm Scythæ, tanto impetu territi, fugam capesiverunt.

Multis interfectis, pluribus captis, equi mille et octingenti præda Macedonum fuêre.

Alexander autem captivos omnes sine pretio dimisit.

166. *Victorias de Alejandro en la India.— El rey Poro.*

Multis deindè gentibus subactis, Indos Alexander petere decrevit.

Illi autem Indiæ fines ingredienti multi occurrerunt reguli [280], legibus illius obtemperaturi.

Alexander contrà processit ad subigendos qui ipsius imperium aversarentur.

Ex horum numero fuit rex quidam hujus regionis, nomine Porus, et viribus corporis et animi magnitudine pariter insignis.

Misit ad eum Alexander legatos qui præciperent ut stipendium penderet, et in primo finium suorum aditu occurreret ipsi venienti.

Porus respondit se Alexandro regnum suum intranti præstò fore, sed armatum.

167. *Es Poro vencido y hecho prisionero.*

Utriusque regis igitur exercitus, ad pugnam progressus, castra castris contulit.

Commissum brevì fuit prælium; Porus cum suo exercitu in Macedonas ingenti ruit impetu.

Nec Alexander minori alacritate pugnam agressus est.

Primâ tamen congressione, vulnerato cui insidebat equo, præceps in terram decidit.

279 *Periculum facere*, hacer el ensayo.

280 *Reguli*, diminutivo, reyes de pequeños Estados.

Verùm à satellitibus undiquè concurrentibus servatus, nihil mali [281] accepit.

Porus contrà, fortiter dimicans, plurimisque confossus vulneribus, tandem in manus hostium cecidit.

Qui victum se adeò doluit, ut neque cibum sumere, neque vulnera curari voluerit.

168. *Coloquio de Poro y de Alejandro.*

Alexander autem, miseratione commotus, his verbis Porum compellavisse fertur:

«Quænam amentia te coegit, cognitâ rerum mearum [282] famâ, belli «fortunam experiri?»

At Porus: «Quoniam, inquit, percontaris, liberè respondebo.

«Neminem me [283] fortiorem esse arbitrabar; meas enim moveram »vires; nondùm autem expertus eram tuas.

»At fortiorem te esse belli eventus docuit.»

Rursus interrogatus ab Alexandro quænam conditio ipsi placeret: respondit: «Regia» [284].

Hâc dicendi libertate plùs profecit, quàm si ad preces descendisset.

Alexander enim, ejus virtutem et animi constantiam demiratus, incolumem eum in regna dimisit.

169. *Cerca Alejandro la ciudad de los Oxidracos y es el primero que escala el muro.*

Rebus ità compositis, Alexander ad interiora Indiæ processit, et ad amnem Acesinem pervenerat.

At gentes finitimæ, armatis octoginta millibus peditum et sexaginta millibus equitum, eum aggressæ fuerunt.

Illas autem prælio vicit, statìmque exercitum ad urbem Oxydracarum duxit.

Nec diutiùs moratus, admoveri jussit scalas, primusque omnium evasit in murum.

Dehinc in urbem hostium plenam præcipiti saltu, sine ullo satellite, se ipse immisit.

Quùm autem eum hostes conspexissent solum, clamore edito, undiquè concurrerunt.

281 *Nihil mali*, ningun mal, nada malo.

282 *Rerum mearum*, de mis empresas.

283 *Me*, al ablativo complemento del comparativo *fortiorem*.

284 *Regia*, suple *conditio*.

Quisque certabat primo ictu illum ferire ultionemque tot gentibus victis dare [285].

170. *Es tomada por asalto dicha ciudad.*

Nec minùs Alexander constanter restitit, unusque adversùs tot millia prœliatus fuit.

Eum nec multitudo hostium nec vis magna telorum terruit, solusque plurimos hostes fugavit occiditve.

Ubi verò se obrui multitudine vidit, trunco [286] qui tùm propter murum stabat, se applicuit.

Hujus igitur trunci auxilio tutus [287], diù lacessentes sustinuit.

Tandem, cognito ejus periculo, amici ad eum properaverunt, ex quibus multi cæsi fuêre.

Tunc verò prœlium diù anceps fuit, donec omnis exercitus, muris dejectis, urbem expugnavisset.

In eo prœlio vulneratus fuit, curatioque vulneris ejus gravior ipso vulnere fuit.

171. *Llega Alejandro hasta el Océano, desde donde vuelve á Babilonia.*

Alexander deindè ad Oceanum usque victorem exercitum circumduxit.

Illi verò ab ultimis littoribus Oceani Babylonem revertenti chaldæi vates [288] occurrerunt, monentes ne Babylonem ingrederetur, testati hunc locum ei exitialem fore.

Quibus spretis, quò destinaverat, iter persecutus est.

Nuntiabatur enim legatos ex diversis terrarum partibus undiquè Babylonem confluxisse, ejusque adventum exspectare.

Babylonem igitur, quasi conventum totius orbis ibi acturùs esset, prevenire festinabat.

Quò quùm venisset, legatos omnes benignè exceptos domum [289] remisit.

172. *Alejandro se ve acometido de una enfermedad mortal.*

Iisdem ferè diebus ad convivium à Thesalo quodam medico rex cum sodalibus vocatus venit.

285 *Ultionem dare*, vengar.
286 *Trunco*, suple *arboris*.
287 *Tutus*, protegido.
288 *Chaldæi vates*. Los caldeos eran tenidos por doctos adivinos.
289 *Domum*, en su patria.

Accepto inter epulas scypho necdùm epoto [290], repentè, veluti telo confixus, ingemuit.

Elatus fuit è convivio semianimis, tantoque dolore cruciatus est, ut malum morte voluntariâ finire vellet.

Amici causam morbi esse intemperiem [291] ebrietatis divulgârunt.

Quarto deindè die, milites quùm partim esse mortuum suspicarentur, partim ejus desiderium ferre non possent, mœsti sese in regiam contulerunt.

Orabant omnes ut sibi regis videndi copia tandem fieret [292].

Quod ubi rex cognovit, eos ad conspectum suum benignissimè admisit.

173. *Testimonios de dolor que da su ejército.*

Militibus autem suum regem intuentibus obortæ fuerunt lacrymæ, universusque dolor in omnibus eminebat.

At ipse non tantùm sine lacrymis, verùm etiam absque ullo tristitiæ argumento stetit.

Imò quosdam impatientiùs dolentes consolatus est, et sicut in hostem, ità et in mortem [293] invictum præbuit animum.

A toto exercitu suo persalutatus, osculandam dextram suam cuique porrexit.

Amicis intereà lectum circunstantibus: «Invenietisne, ait, quùm «excessero, dignum talibus viris regem [294]?»

Tacentibus cunctis, ipse vaticinatus est quanta clades quantaque mala, eo mortuo, Macedoniæ imminerent.

174. *Ultimas palabras de Alejandro á sus amigos.*

Dimissis militibus, propiùs accedere jussit amicos; nam et vox deficere eum jàm cœperat.

Detractum deindè annullum digito [295] Perdiccæ tradidit, mandavitque ut corpus suum in Hammonis templum ferendum curaret.

Quærentibus multis quem imperii faceret hæredem, respondit: «Eum qui esset optimus.»

290 *Necdum epoto*, antes de haberla vaciado ó apurado.

291 *Intemperiem*, el exceso.

292 *Copia tandem fieret*, que le fuere, en fin, permitido.

293 *In mortem*, contra la muerte.

294 No revelan poca vanidad estas palabras.

295 *Detractum digito*, sacado de su dedo. *Digito* se refiere á Alejandro y no á Pérdicas.

His verbis ostendit quanti semetipsum et virtutem faceret.

Rursùs Perdiccæ interroganti quandò cœlestes honores sibi haberi vellet, dixit se tùm velle, quùm ipsi forent felices.

Suprema hæc vox fuit regis, et paulo pòst animam exhalavit.

175. *Duelo general.*

Alexandro vix mortuo, ploratu lamentisque et planctibus tota regia personuit.

Nobiles pueri, corporis ejus custodes, doloris vim perferre nequibant, vagique totam urbem luctu et mœrore complebant.

Macedones pariter et barbari passìm concurrebant, nec poterant victi à victoribus in communi dolore discerni.

Persæ justissimum ac mitissimum dominum, Macedones optimum et fortissimum regem amissum flebant.

Unusquisque indignè ferebat quòd, in flore ætatis fortunæque, dii illum sibi eripuissent.

Macedones præsertìm pœnitebat quòd illi divinos honores denegavissent, seque simul impios et ingratos confitebantur.

176. *Sabe Sisigambis, madre de Darío, la muerte de Alejandro y sucumbe á este dolor.*

Nec intrà muros urbis solùm luctus exstitit; ad Darii quoque matrem Sisigambim tanti mali fama celeriter perlata est.

Abscissâ igitur veste quâ induta erat, lugubrem [296] statìm sumpsit, laceratisque crinibus, humi corpus abjecit.

Assidebat ei altera ex neptibus, nuper amissum Hephæstionem, cui nupserat, lugens.

Sisygambis suam suarumque vicem flebat, quasi alterum [297] amisisset Darium.

Illam præsertìm sollicitabat conditio ipsius futura.

Ad ultimum dolori succubuit, obvolutoque capite, cibo abstinuit, quintoque, postquàm mori statuerat, die exstincta est.

177. *Cualidades de Alejandro.*

Decessit itàque Alexander, annos tres et triginta natus, vir supra humanam potentiam magnitudine animi præditus.

296 *Lugubrem*, suple *vestem*.

297 *Alterum*, un segundo Darío.

Vis incredibilis animi, laboris patientia propemodùm nimia, fortitudoque ingens apud illum fuêre.

Ut liberalitate egregiâ: sic summâ in devictos clementiâ excelluit.

Sæpè enim majora quàm à diis petuntur tribuit, regnaque victis regibus aut reddidit aut ampliora dedit,

Perpetua illi fuit mortis contemptio, cujus [298] metus ceteros exanimat.

Gloriæ laudisque cupiditas nimiò fortè major illum incesserat, at in juvene tamen toleranda.

Tantâ pietate suos [299] prosecutus est, ut necem Philippi, à quo tamen malè habitus fuerat, ultus fuerit, Olympiadaque immortalitati consecrare decrevisset.

Nullus eo fuit in omnes ferè amicos benignior, nullus erga milites benevolentior.

Alios suorum consiliorum libenter faciebat participes, monitisque eorum facilè obsequebatur; alios verò querentes humaniter excipiebat, victoresque muneribus donabat [300].

Par consilium [301] magnitudine animi, paremque suæ ætati solertiam præ se ferebat.

Quantâ indulgentiâ quantâque justitiâ in omnes captivos usus fuerit, mors Sisygambis maximum documentum est, quandoquidem ea, quæ sustinuerat post Darium vivere, Alexandro superstes esse non potuit.

178. *Defectos de Alejandro.*

At idem diis æquare se, cœlestesque honores sibi vindicare non erubuit.

Vehementiùs quàm par erat irasci, vinoque immodicè uti solebat.

Hinc cædibus suorum, illinc luxuriâ vitam inhonestavit suam.

Fatendum est etiam illum plùs fortunæ quàm virtuti debuisse.

Quoties enim fortuna illum à morte revocavit! quoties eum temerè pericula adeuntem protexit!

Ejus quoque vitæ finem eumdem, quem gloriæ dii statuerunt.

Exspectaverunt enim fata, dùm, Oriente perdomito aditoque Oceano, orbem terrarum gloriâ armorum [302] implevisset.

298 *Cujus* se refiere á *mortis*.

299 *Suos*, sus parientes.

300 *Victoresque muneribus donabat*, los colmaban de presentes despues de la victoria.

301 *Consilium* aquí prudencia.

302 *Gloriâ armorum*, la gloria de (*sus*) armas.

179. *Presagios de la grandeza de Alejandro.*

Quemadmodùm vita Alexandri plurimis et quidem maximis prodigiis illustrata fuit, ità portenta nonnulla, magnitudinis ejus futuræ indicia, in ipso ortu [303] apparuerunt.

Nam eâ die quâ natus est, duæ aquilæ supra culmen domùs patris ejus insederunt.

Hoc omen duplicis imperii, Europæ scilicet atque Asiæ, erat.

Eâdem quoque die pater Philippus nuntium duarum victoriarum accepit; alterius, prælii illyrici, alterius autem olympici certaminis.

Quo quidem omine universarum terrarum victoria filio infanti portendebatur.

180. *Educacion de Alejandro.—Gloria de su reinado.*

Alexander, quùm puer esset, litterarum studiis sedulò eruditus fuit.

Exactâ pueritiâ [304], Aristotelis, omnium philosophorum magistri, per quinquennium fuit auditor diligens.

Accepto deindè imperio, regem se terrarum omnium appellari jussit, tamtamque fiduciam suî militibus fecit, ut, illo præsente, nullius hostis arma timuerint.

Itaque nullo cum hoste unquàm congressus est, quem non vicerit; nullam urbem obsedit, quam non expugnaverit; nullam gentem adiit, quam non armis subjecerit.

Victus quidem ad postremum fuit, non virtute hostili, sed insidiis suorum.

181. *Vuelven á tomar las armas los Atenienses y los Etolios por la libertad de Grecia. — Causas de esta guerra.*

Alexandro mortuo, Athenienses et Ætoli bellum, quod jam illo vivo moverant, summis viribus instauravêre.

Causa autem ejus belli hæc erat.

Reversus ab Indiâ Alexander epistolas in Græciam miserat, quibus omnium civitatum exsules in patriam restituebantur.

Quæ [305], recitatæ præsente universâ Græciâ inter ludos olympicos, magnus motus fecerunt.

303 *In ipso ortu*, suple *illius. Ortus*, nacimiento.

304 *Exactâ pueritiâ*, al salir de la infancia.

305 *Quæ*, suple *epistolæ — Recitatæ*, habiendo sido leidas.

Horum enim exsulum plurimi, non legibus, sed per factionem principum pulsi fuerant patriâ.

Veriti autem iidem principes ne illi revocati potentiores in republicâ fierent, tumultuabantur.

Palàm igitur jàm tunc multè civitates libertatem bello vindicandam fremebant.

Principes [306] tamen omnium Athenienses et Ætoli hoc in bello fuêre.

182. *Asedian los Atenienses á Antipater en Heraclea.—Demóstenes, desterrado, acude en favor de su patria que le llama.*

Athenienses igitur, contracto triginta millium exercitu, instructisque ducentis navibus, adversùs Antipatrum, cui Græcia sorte [307] evenerat, processerunt.

Quùm autem detrectaret prælium, seque mœnibus urbis Heracleæ tueretur, illum obsidione cinxerunt.

Eodem tempore Demosthenes [308], atheniensis orator, pulsus patriâ, fortè Megaris exsulabat.

Ille, ut missum ab Atheniensibus Hyperidem legatum cognovit, qui Peloponnenses in societatem armorum sollicitaret, eum secutus est.

Sicyona, Argos et Corinthum, ceterasque civitates, eloquentiâ suâ Atheniensibus junxit.

Ob quod factum, missâ ab Atheniensibus obviàm ei nave, ab exsilio revocatus fuit.

183. *Muerte del general Ateniense. — Antipater, despues de muchas desgracias, obliga á los Atenienses á levantar el cerco.*

Intereà dùm Heraclea obsideretur, Leosthenes, dux Atheniensium, telo è muris jacto occisus est.

Quæ res tantos animos [309] Antipatro addit, ut etiam vallum rescindere ausus fuerit.

Auxilium deindè à Leonato, ex sociis uno, per legatos petiit.

Quem quùm venire cum exercitu nuntiatum esset, obvii ei Athe-

306 *Principes*, los primeros, ó mas bien los gefes, los capitanes.

307 *Sorte*. Habiendo dividido el reino los generales de Alejandro, echaron suertes sobre los Estados que lo componian.

308 El mismo Demóstenes que se habia opuesto constantemente á Filipo.

309 *Animos* poéticamente por el singular *animum*.

nienses cum instructis copiis fuêre, ibique equestri prælio Leonatus gravi vulnere ictus occidit.

Attamen Antipater, recepto Leonati exercitu, magno impetu in hostes erupit, solutusque obsidione, in Macedoniam concessit.

Græcorum quoque copiæ, hostes suis à finibus pulso, in urbes suas dilapsæ fuerunt.

184. *Focion. — Es víctima de las banderías y condenado á muerte.*

Non abs re fuerit hìc de Phocione Atheniensi pauca dicere [310].

Etsi sæpe exercitibus præfuit, summosque magistratus gessit, tamen multò notior est ejus vitæ integritas, quàm rei militaris labor.

Dùm essent Athenis duæ factiones, quarum una populi causam agebat, altera optimatum, quibus favebat Phocio, populus, factus superior, duces adversariæ factionis capite damnatos in custodiam conjecit; in his Phocionem [311].

Ne perorandi quidem ei data est facultas et dicendi causam.

Quùm ad mortem duceretur, obvium habuit Emphyletum, quo familiariter fuerat usus.

Is quùm lacrymans dixisset: « O quàm indigna perpeteris, Pho»cio!» huic ille: « At non inopinata, inquit; hunc enim exitum plerique clari viri habuêre Athenienses.»

185. *Cualidades de Focion.*

Phocio nunquàm visus est cuiquam neque flere neque ridere; tanta erat ejus animi constantia!

Quùm legati regis Philippi eum hortarentur munera magnæ pecuniæ accipere, simulque admonerent ut, si minùs ipsi, liberis saltem suis prospiceret, quibus difficile esset in summâ paupertate paternam tueri gloriam; his ille: « Si meî similes erunt [312], idem hic, inquit, »illos alet agellus quo ad hanc dignitatem perveni; sin dissimiles sunt »futuri, nolo meis impensis illorum ali luxuriam.»

Idem quùm percontatus esset legatos qui centum talenta ab Alexandro Magno dono missa illi offerebant, cur sibi uni inter tot Athe-

310 *Non abs re fuerit..... dicere*, no sería fuera de propósito. Constrúyase literalmente, *dicere* &c..... *non fuerit abs re.*

311 *In his Phocionem.* El acusativo *Phocionem* está regido por *conjecit*. Puede cortarse la frase diciendo: *de este número era Focion.*

312 *Si mei similes erunt*, si se me parecieren; si debieran parecerse á mí. *Mei* gen. de *ego*.

nienses illa rex mitteret, quùmque respondissent: «Quoniam unum te »judicat virum et honestum et bonum;—Ergò sinat, inquit, me talem »et haberi et esse.»

Jamjàm moriturus, interrogatus nùm quid filio, qui aderat, vellet dicere: «Ego inquit, tibi, fili, præcipio, ne quid ob hujus rei [313] me- »moriam Atheniensibus malè velis.»

186. *Confederacion de los Griegos para reconquistar su libertad.*

Jamdudum Græci sese præstabant à majorum virtutibus et claritate degeneres.

Attamen interdùm apud eos elucebant nonnulla pristinæ fortitudinis vestigia.

Dùm bello inter se dissiderent Ptolemæus Ceraunus, Antiochusque Soter et Antigonus, omnes fermè Græciæ civitates, ducibus Spartanis, velut occasione datâ, spem libertatis recipiendæ animo præsumpserunt.

Itaque, missis invicem legatis, per quos in societatem coirent, electoque belli duce Areâ, in bellum simul prorupêre.

At, ne Antigonum, sub cujus ditione erant, bello aggredi viderentur, Ætolos ejus socios lacessunt, causati [314] quòd Cirrhæum campum Apollini consensu Græciæ sacratum per vim occupavissent.

187. *Derrota de los Griegos.—Quieren los Espartanos volver á tomar las armas, pero son abandonados por sus aliados.*

Areas autem, adunato exercitu, urbes Ætolorum camporumque sata depopulari cœpit.

Imò, quæ auferri non poterant, incendit.

Quod quùm è montibus conspicati Ætolorum pastores essent, congregati admodùm [315] quingenti, in sparsos hostes ex improviso concurrerunt.

Hi verò, ignari quanta manus virorum ipsos insequeretur, quoniam sibi conspectum fumus incendiorum abstulerat, subito pavore correpti, in fugam celerem se dederunt, novemque millia virorum inter eos trucidata fuerunt.

Reparantibus deindè Spartanis bellum, multæ civitates auxilium

313 *Hujus rei*, de esta cosa, de lo que acontece', es decir de mi muerte.
314 *Causati*, habiendo dado por pretexto.
315 *Admodùm*, cerca de.

negaverunt, ratæ scilicet ab iis dominationem, non libertatem Græciæ quæri.

188. *Atacan los Galos acaudillados por Breno el templo de Délfos.— Son desbaratados y muerto su general.*

Non ità multò pòst [316], Brennus, quo duce Galli in Græciam se effuderant, Delphos iter vertit, templi opes direpturus.

Quo audito, urbem suam Delphi, aucti viribus sociorum, omni curâ permunivêre.

Galli autem, sine respectu [317] periculorum, urbem agressi undiquè ruunt.

Delphi contrà, deo magìs quàm viribus confisi, resistunt impavidi, scandentesque Gallos è summo montis vertice partîm saxis, partîm armis obruunt.

Præsentiam dei ipsius sensêre; nam et terræ motu pars montis abrupta cæde horribili Gallorum stravit exercitum, et dux ipse Brennus, quùm vulnere gravi saucius dolorem ferre non posset, pugione vitam finivit.

Alter ex ducibus cum decem millibus sauciorum citato agmine [318] Græciâ excessit.

Imò nec fugientibus fortuna commodior fuit; siquidem nemo ex tantu exercitu vel ad memoriam tantæ cladis superfuit.

189. *Pirro, Rey de Epiro, quiere avasallar la Grecia.— Es deshecho por las mugeres de Esparta y muerto en Argos.*

Pyrrhus quoque, rex Epiri, Asiæ Græciæque regna meditatus [319] copias Chersoneso transposuit.

Primum illi bellum adversùs Spartanos fuit; at ibi, majore mulierum quàm virorum virtute exceptus, partem exercitûs robustissimam amisit.

Ptolomæus etiam, ejus filius, in mediam usque urbem equo procurrit, ibique concursu multitudinis interfectus est.

316 *Non ita multo pòst*, literalmente, *no realmentè mucho despues*; en castellano *poco despues.*

317 *Sine respectu*, sin consideracion, sin tener cuenta.

318 *Citato agmine*, á marchas dobles.

319 *Regna meditatus*, al pié de la letra, *habiendo meditado sobre la potestad real*, ó mejor *proponiéndose reinar*.

Pyrrhus autem, tantâ acceptâ clade, non ideò ab incœpto destitit.

Repulsus à Spartanis, aliò vertere iter statuit, Argosque petivit.

Ibi, dùm Antigonum in urbe clausum expugnare conaretur, Marte [320] ferè semper infelici usus est.

Deniquè, inter confertissimos [321] strenuè dimicans, saxo è muris à matre argivâ impetitus occidit.

190. *Son los Etolios avasallados por los Romanos.*

Ætoli Antiochum cognomine Magnum in belli societatem adversùs Romanos sibi infestissimos vocaverant.

At ille princeps, terrâ marique multoties victus, petitâ impetratâque pace, ab Ætolis descivit.

Hi igitur populi soli adversùs Romanos, et viribus impares et omni auxilio destituti, remanserunt.

Nec multò pòst victi et ipsi, libertatem, quam illibatam [322] adversùs dominationem Atheniensium et Spartanorum inter tot Græciæ civitates soli retinuerant, amiserunt.

Quæ conditio tantò amarior illis, quantò serior fuit.

Reputabant etiam tempora illa, quibus ingentes Persarum opes [323] suis ipsorum viribus sustinuerant, Gallorumque violentiam delphico bello fregerant.

Quæ gloriosa recordatio magìs desiderium libertatis augebat.

191. *Guerra entre los Mesenios y los Aqueos.—Filopemen.—Es hecho prisionero.*

Dùm hæc [324] agerentur, inter Messenios et Achæos de principatu primùm dissensio, bellum deindè exortum est.

In eo Philipœmen, nobilis Achæorum imperator, fortiter de more dimicans, dùm suos fugientes in prælium revocaret, in transitu fossæ equo præcipitatus, à multitudine hostium oppressus captusque fuit.

Quem jacentem Messenii, seu metu virtutis, seu reverentiâ dignitatis, interficere ausi non fuerunt.

320 *Marte* por *bello* ó *armis*; metonimia.

321 *Inter confertissimos*, enmedio de los (combatientes) mas apiñados, en lo mas espeso de la pelea.

322 *Illibatam*, intacta.

323 *Opes*, el poderío.

324 *Hæc*, suplen *negotia*.

Itaque, tamquàm illo comprehenso bellum omne confecissent, captivum per universam civitatem in modum triumphi circumduxerunt.

Effundebatur obviàm populus, perindè ac si suus [325], non hostium imperator adventaret.

Nec eum victorem Achæi avidiùs vidissent, quàm victum hostes viderunt.

192. *Muerte de Filopemen.—Vuelven los Aqueos á tomar las armas.—Toma de Mesenas.*

Ducem ità strenuum potuisse capi incredibile singulis videbatur.

Indè tanto illius conspiciendi studio ardebant, ut eumdem in theatrum duci jusserint, quò faciliùs omnes contuerentur [326].

Deindè, quùm jàm plurimi misericordiâ moti iniquam tanti ducis vicem dolerent, magistratus urbis, inito inter se consilio, in vincula eum conjecerunt.

Tùm nocte abductâ, miserunt ad eum qui venenum hauriendum offerrent.

Quod ille lætus, quasi vicisset, accepit.

Quæsivit priùs an Lycortas, præfectus Achæorum, quem secundum à se esse scientiâ rei militaris noverat, incolumis effugisset.

Quem ut audivit evasisse: « Non omninò malè, ait, consultum est [327] Achæis. » haustoque veneno, exspiravit.

Nec multò pòst, reparato bello, Messenii, ad Achæis expugnati, pœnas interfecti Philopœmenis pependerunt.

193. *Intentan los romanos romper la confederacion aquea.—Envían con este propósito diputados á Grecia.*

Pœnis, Macedonibus Ætolisque subactis, soli ex universâ Græciâ Achæi, non propter singularum civitatum nimias opes, sed propter conspirationem [328] universarum, nimis potentes Romanis videbantur.

His autem, dùm causas belli quærerent, occasionem commodam [329] obtulerunt Spartanorum querelæ, quorum agros Achæi populabantur.

Auditis eâ de re Spartanorum legatis, Romani et ipsi legatos in

325 *Suus* suple *imperator*.

326 *Contuerentur* suple *eum*.

327 *Non omninò malè consultum est*, no se ha compuesto del todo mal, no se ha perdido todo.

328 *Conspirationem*, la confederacion, el buen acuerdo.

329 *Occasionem commodam*, una ocasion favorable.

Græciam miserunt, qui injuriam demendam curarent; at simul iis occulta mandata sunt data, ut corpus Achæorum dissolverent, singulasque urbes proprii juris facerent.

Legati igitur, omnium civitatum principibus Corinthum evocatis, decretum senatûs recitaverunt.

194. *Levantamiento, derrota, y servidumbre de los acheos.— Ruina de Corinto. — Esclavitud de toda la Grecia.*

Quod ubi omnibus innotuit furibundi cunctos peregrinos Achæi trucidaverunt; ipsos quoque legatos Romanorum violâssent, nisi, audito tumultu, trepidi fugissent.

Hæc ubi Romæ nuntiata sunt, Mummius consul extemplò, exercitu in Achaiam deportato, pugnandi copiam hostibus fecit [330].

Prælio autem commisso, profligati cæsique fuerunt Achæi; conjuges quoque liberique eorum præda hostium fuêre.

Urbis ipsa Corinthus diruta, populusque omnis sub coronâ venditus fuit, ut, territæ hoc exemplo, ceteræ civitates res novas [331] jam non molirentur.

Rebus ità peractis, Græcia universa, demùm jàm non sui juris, in Romanorum ditionem concessit.

330 *Pugnandi copiam hostibus fuit*, procurando á los enemigos la ocasion de combatir; en castellano, *presentó* la *batalla á los enemigos*.

331 *Res novas*, literalmente *cosas nuevas*, *novedades*, *revoluciones*.

FINIS HISTORIÆ GRÆCÆ.

DE VIRIS ILLUSTRIBUS

URBIS ROMÆ

A ROMULO AD AUGUSTUM.

I. ROMANI IMPERII EXORDIUM.

Proca, res Albarorum, duos filios, Numitorum et Amulium, habuit. Numitori, qui natu major erat, regnum reliquit; sed Amulius, pulso fratre, regnavit, et, ut eum sobole privaret, Rheam Sylviam, ejus filiam, Vestæ sacerdotem fecit, quæ tamen Romulum et Remum uno partu edidit. Quo cognito, Amulius ipsam in vincula conjecit, parvulos alveo impositos abjecit in Tiberim, qui tunc fortè super ripas erat effusus, sed relabente, flumine, eos aqua in sicco reliquit. Vastæ tum in iis locis solitudines erant. Lupa, ut famâ traditum est, ad vagitum accurrit, infantes linguâ lambit, ubera eorum ori admovit, matremque se gessit.

Quum lupa sæpiùs ad parvulos veluti ad catulos reverteretur, Faustulus, pastor regius, rem animadvertit, eos tulit in casam, et Accæ Laurentiæ conjugi dedit educandos. Qui, adulti inter pastores, primò ludicris certaminibus vires auxere, deinde venando saltus peragrare cœperunt, tum latrones, à rapinâ pecorum arcere. Quare iis insidiati sunt latrones à quibus Remus captus est; Romulus autem vise defendit. Tunc Faustulus, necessitate compulsus, indicavit Romulo quis esset ejus avus, quæ mater. Romulus statim, armatis pastoribus, Albam properavit.

Interea Remum latrones ad Amulium regem perduxerunt, eum accusantes, quasi Numitoris greges infestare solitus esset; Remus itaque à rege Numitori ad supplicium traditus est: at Numitor, considerato adolescentis vultu, haud procul erat quin nepotem agnosceret. Nam Remus oris lineamentis erat matri simillimus, ætasque tempori expositionis congruebat. Dum ea res animum Numitoris anxium teneret, repentè Romulus supervenit, fratrem liberavit, et, Amulio interfecto, avum Numitorem in regnum restituit.

Deinde Romulus et Remus urbem in iisdem locis, ubi expositi educatique fuerant, condiderunt; sed orta est inter eos contentio uter nomen novæ urbi daret, eamque regeret: adhibuere auspicia. Remus prior sex vultures, Romulus postea, sed duodecim, vidit. Sic Romulus, augurio victor, Romam vocavit, et, ut eam priùs legibus quàm mœnibus muniret, edixit ne quis vallum transiliret. Quod Remus irridens transilivit; eum iratus Romulus interfecit, his increpans verbis: « Sic deinceps malo afficietur quicumque transiliet mœnia mea. » Ita solus potitus est imperio Romulus.

II. ROMULUS, ROMANORUM REX PRIMUS.

Ante J. C. 753; *Anno U. C.* 2.

Romulus imaginem urbis magis quàm urbem fecerat, deerant incolæ. Erat in proximo lucus; hunc asylum fecit. Eò statim multitudo latronum pastorumque confugit. Quum verò ispe et populus uxores non haberent, legatos ad vicinas gentes missit, qui societatem connubiumque peterent. Nusquam benignè legatio audita est: ludibrium etiam additum: «Quidni feminis quoquè asylum aperuistis? Id enim compar foret connubium.» Romulus, ægritudinem animi dissimulans ludos parat: indici deinde finitimis spectaculum jubet. Multi convenere studio etiam videndæ novæ urbis, maximè Sabini cum liberis et conjugibus. Ubi spectaculi tempus venit, eòque deditæ mentes cum oculis erant, tum, dato signo, virgines raptæ sunt: et hæc fuit statim causa bellorum.

Sabini ob virgines raptas bellum adversùs Romanos sumpserunt, et, quum Romæ appropinquarent, Tarpeiam virginem nacti sunt, quæ aquæ causà sacrorum hauriendæ descenderat. Hujus pater Romanæ præerat arci. Titus Tatius, Sabinorum dux, Tarpeiæ optionem muneris dedit, si exercitum suum in Capitolium perduxisset. Illa petiit quod Sabini in sinistris manibus gerebant, videlicet annulos et armillas. Quibus dolosè promissis, Tarpeia Sabinos in arcem perduxit, ubi Tatius eam scutis obrui præcepit: nam et scuta in lævis habuerant. Sic impia proditio celeri pœnâ vindicata est.

Romulus adversùs Tatium processit, et in eo loco, ubi nunc Romanum forum est, pugnam conseruit. Primo impetu, vir inter Romanos insignis, nomine Hostilius, fortissimè dimicans cecidit; cujus interitu consternati Romani fugere cœperunt. Jam Sabini clamitabant: « Vicimus perfidos hospites, imbelles hostes. Nunc sciunt longè aliud esse virgines rapere, aliud pugnare cum viris.» Tunc Romulus, arma ad cœlum tollens, Jovi ædem vovit, et exercitus, seu fortè, seu divinitus, restitit. Prælium itaque redintegratur; sed raptæ mulieres, crinibus pas-

sis, ausæ sunt se inter tela volantia inferre et hinc patres, inde viros deprecatæ, pacem conciliârunt.

Romulus cum Tatio fœdus percussit, et Sabinos in urbem recepit. Centum ex senioribus elegit quorum consilio omnia ageret, qui, ob senilem ætatem, *Senatus* vocati sunt. Tres equitum centurias constituit; plebem in triginta curias distribuit. His ita ordinatis, quum ad Capræ paludem exercitum lustraret, subitò coorta est tempestas cum magno fragore tonitribusque, et Romulus è conspectu ablatus est: eum ad Deos abiisse vulgò creditum est; cui rei fidem fecit Proculus, vir nobilis. Ortâ enim inter patres et plebem seditione, is in concionem processit, et jurejurando affirmavit Romulum à se visum augustiore formâ quàm fuisset, eumdemque præcipere ut seditionibus abstinerent, et virtutem colerent. Ita Romulus pro Deo cultus, et Quirinus est appellatus.

III. NUMA POMPILIUS, ROMANORUM REX SECUNDUS.

Ante J. C. 713; *Anno U. C.* 40.

Successit Romulo Numa Pompilius, vir inclytâ justitiâ et religione. Is Curibus, oppido Sabinorum, accitus est. Quum Roman venisset, ut populum ferum religione molliret, sacra plurima instituit. Aram Vestæ consecravit, et ignem in arâ perpetuò alendum virginibus dedit. Flaminem Jovis sacerdotem creavit, eumque insigni veste et curuli sellâ ornavit. Duodecim Salios Martis sacerdotes legit, qui ancilia quædam, imperii pignora, è cœlo, ut putabant, delapsa ferre per urbem, canentes et ritè saltantes, solebant. Annum in duodecim menses ad cursum lunæ descripsit; nefastos fastosque dies fecit; portas Jano gemino ædificavit, ut esset index pacis et belli: nam apertus, in armis esse civitatem, clausus verò, pacatos circà omnes populos significabat.

Leges quoque plurimas et utiles tulit Numa. Ut verò majorem institutis suis auctoritatem conciliaret, simulavit sibi cum Deâ Ægeriâ esse colloquia nocturna, ejusque monitu se omnia quæ ageret facere. Lucus erat quem medium fons perenni rigabat aquâ; eò sæpe Numa sinè arbitris se inferebat, velut ad congressum Dèæ: ita omnium animos religione imbuit, ut fides et jusjurandum, non minùs quàm legum et pœnarum metus, cives continerent. Bellum quidem nullum gessit, sed non minùs civitati profuit quàm Romulus. Morbo exstinctus, in Janiculo monte sepultus est. Ita duo deinceps reges, ille bello, hic pace, civitatem auxerunt. Romulus septem et triginta regnavit annos; Numa tres et quadraginta.

IV. TULLUS HOSTILIUS, ROMANORUM REX TERTIUS.

Ante J. C. 671; *Anno U. C.* 83.

Mortuo Numa, Tullus Hostillius rex creatus est. Hic non solùm proximo regi dissimilis, sed etiam Romulo ferocior fuit. Eo regnante, bellum inter Albanos et Romanos exortum est. Ducibus Hostilio et Fuffetio placuit paucorum manibus fata utriusque populi committi. Erant apud Romanos trigemini Horatii, trigemini quoque apud Albanos Curiatii. Cum iis agunt reges ut pro suâ quisque patriâ dimicent ferro. Fœdus ictum es eâ lege, ut unde victoria, ibi quoque imperium esset. Itaque trigemini arma capiunt, et in medium inter duas acies procedunt. Consederant utrinque duo exercitus. Datur signum, infestisque armis terni juvenes, magnorum exercituum animos gerentes, concurrunt.

Ut primo concursu increpuere arma, horror ingens spectantes perstrinxit. Consertis deinde manibus, statim duo Romani alius super alium exspirantes ceciderunt; tres albani vulnerati. Ad casum Romanorum conclamavit gaudio exercitus Albanus. Romanos jam spes tota deserebat. Unum Horatium tres Curiatii circumsteterant: is, quàmvis integer, quia tribus impar erat, fugam simulavit, ut singulos, per intervalla secuturos, separatim aggrederetur. Jam aliquantum spatii ex eo loco, ubi pugnatum est, aufugerat, quum respiciens videt unum Curiatium haud procul ab se abesse. In eum magno impetu redit, et, dum Albanus exercitus inclamat Curiatiis ut opem ferant fratri, jam Horatius eum occiderat. Alterum deinde, priusquàm tertius posset consequi, interfecit.

Jam singuli supererant, sed nec spe nec viribus pares. Alterius erat intactum ferro corpus, et geminatâ victoriâ ferox animus; alter fessum vulnere, fessum cursu trahebat corpus. Nec illud prælium fuit. Romanus exsultans malè sustinentem arma conficit, jacentemque spoliat. Romani ovantes ac gratulantes Horatium accipiunt, et domun deducunt. Princeps ibat Horatius, trium fratrum spolia præ se gerens. Cui obvia fuit soror, quæ desponsa fuerat uni ex Curiatiis, visoque super humeros fratris paludamento sponsi, quod ipsa confecerat, flere et crines solvere cœpit. Movit feroci juveni animum comploratio sororis in tanto gaudio publico: stricto itaque gladio transfigit puellam, simul eam verbis increpans: «Abi hinc cum immaturo amore ad sponsum, oblita fratrum, oblita patriæ. Sic eat quæcumque Romana lugebit hostem.»

Atrox id visum est facinus patribus plebique: quare raptus est in jus Horatius et apud judices condemnatus. Jam accesserat lictor, injicie-

batque laqueum. Tum Horatius ad populum provocavit. Interea pater Horatii senex proclamabat filiam suam jure cæsam fuisse; et juvenem amplexus, spoliaque Curatiorum ostentans, orabat populum ne se orbum liberis faceret. Non tulit populus patris lacrymas, juvenemque absolvit, magis admiratione virtutis quàm jure causæ. Ut tamen cædes manifesta expiaretur, pater, quibusdam sacrificiis peractis, transmisit per viam tigillum, et filium, capite adoperto, velut sub jugum misit: quod tigillum *sororium* appellatum est.

Non diu pax Albana mansit: nam Fuffetius, dux Albanorum, quum invidiosum se apud cives videret, quòd bellum uno paucorum certamine finîsset, ut rem corrigeret, Veientes adversùs Romanos concitavit. Ipse ab Tullo in auxilium arcessitus, aciem in collem subduxit, ut fortunam belli experiretur ac sequeretur. Quâ re Tullus intellectâ, dixit clarâ voce suo illud jussu Fuffetium facere, ut hostes à tergo circumvenirentur. Quo audito, hostes territi victique sunt. Posterâ die Fuffetius, quum ad gratulandum Tullo venisset, jussu illius quadrigis religatus est, et in diversa distractus. Deinde Tullus Albam propter ducis perfidiam diruit, et Albanos Romam transire jussit.

Roma interim crevit Albæ ruinis; duplicatus est civium numerus; mons Cœlius urbi additus, et, quò frequentiùs habitaretur, eam sedem Tullus regiæ cepit, ibique deinde habitavit. Auctarum virium fiduciâ elatus, bellum Sabinis indixit; pestilentia insecuta est: nulla tamen ab armis quies dabatur. Credebat enim rex bellicosus salubriora militiæ quàm domi esse juvenum corpora; sed ipse quoque diuturno morbo est implicitus: tunc fracti simul cum corpore sunt spiritus illi feroces, nullique rei deinceps nisi sacris operam dedit. Memorant Tullum, fulmine ictum, cum domo conflagrasse. Tullus magnâ gloriâ belli regnavit annos duos et triginta.

V. ANCUS MARCIUS, ROMANORUM REX QUARTUS.

Ante J. C. 639; *Anno U. C.* 114.

Tullo mortuo, Ancum Marcium regem populus creavit. Numæ Pompilii nepos Ancus Marcius erat, æquitate et religione avo similis. Tunc Latini, cum quibus Tullo regnante ictum fœdus erat, sustulerunt animos, et incursionem in agrum Romanum fecerunt. Ancus, priusquam eis bellum indiceret, legatum misit qui rex repeteret, eumque morem posteri retinuerunt. Id autem hoc modo fiebat Legatus, ubi ad fines eorum venit à quibus res repetuntur, capite velato, ait: «Audi, Jupiter; audite, fines hujus populi. Ego sum publicus nuncius populi Romani: verbis meis fides sit.» Deinde peragit postulata. Si non deduntur res quas

exposcit, hastam in fines hostium emittit, bellumque ita indicit. Legatus qui eâ de re mittitur, *fecialis*, ritusque belli indicendi *jus feciale* appellatur.

Legato Romano res repetenti superbè responsum est à Latinis: quare bellum hoc modo eis indictum est. Ancus, exercitu conscripto, profectus, Latinos fudit, et, oppidis deletis, cives Romam traduxit. Quùm autem in tantâ hominum multitudine facinora clandestina fierent, Ancus carcerem in mediâ urbem ad terrorem increscentis audaciæ ædificavit; muro lapideo urbem circumdedit, et Janiculum montem, ponte Sublicio in Tiberim facto, urbi conjunxit. Pluribus aliis rebus intra paucos annos confectis, immaturâ morte præreptus, non potuit præstare qualem promiserat regem.

VI. LUCIUS TARQUINIUS PRISCUS, ROMANORUM REX QUINTUS.

Ante J. C. 614; *Anno U. C.* 139.

Anco regnante, Lucius Tarquinius urbe Tarquiniis profectus, cum conjuge et fortunis omnibus Romam commigravit. Additur hæc fabula: scilicet ei advenienti aquila pileum sustulit, et super carpentum, ubi Tarquinius sedebat, cum magno clangore volitans, rursus capiti aptè reposuit; inde sublimis abiit. Tanaquil conjux, auguriorum perita, regnum ei portendi intelexit: itaque, virum complexa, jussit eum alta sperare. Has spes cogitationesque secum portantes, urbem ingressi sunt, domicilioque ibi comparato, Tarquinius pecuniâ et industriâ dignitatem atque etiam Anci regis familiaritatem consecutus est, à quo tutor liberis relictus regnum intercepit, et ita administravit quasi jure adeptus fuisset.

Tarquinius Priscus bellum cum Sabinis gessit, in quo bello equitum centurias numero auxit; nomine mutare non potuit, deterritus, ut ferunt, Accii Navii auctoritate. Accius, eâ tempestate augur inclytus, id fieri posse negabat, nisi aves addixissent; iratus rex, in experimentum artis, eum interrogavit fierine posset quod ipse mente conceperat; Accius, augurio acto, fieri posse respondit. «Atqui hoc, inquit rex, agitabam, an cotem illam secare novaculâ possem.—Potes ergo, inquit augur; et secuisse dicitur. Tarquinius Sabinos vicit, et filium tredecim annorum, quòd in prælio hostem percussisset, prætestâ et bullâ donavit; unde hæc ingenuorum puerorum insignia esse cœperunt.

Supererant duo Anci filii, qui, ægrè ferentes se paterno regno fraudatos esse, regi paraverunt insidias. Ex pastoribus duos ferocissimos deligunt ad patrandum facinus. Ii, simulatâ rixâ, in vestibulo regiæ tumultuantur. Quum eorum clamor penitus in regiam pervenisset,

vocati ad regem pergunt. Primò uterque simul vociferari cœpit, et certatim alter alteri obstrepere. Quum verò jussi essent invicem dicere, unus ex composito rem orditur; dumque intentus in eum se rex totus averteret, alter elatam securim in ejus caput dejecit, et, relicto telo, ambo foras se proripiunt.

VII. SERVIUS TULLIUS, ROMANORUM REX SEXTUS.

Ante J. C. 578; *Anno U. C.* 175.

Servius Tullius matre nobili, sed captivâ, natus est. Quum in domo Tarquinii Prisci educaretur, ferunt prodigium visu eventuque mirabile accidisse. Flammæ species pueri dormientis caput amplexa est. Hoc viso, Tanaquil summam ei dignitatem portendi intellexit: conjugi suasit ut eum non secus ac liberos suos educaret. Is postquàm adolevit, à Tarquinio gener assumptus est; et, quum Tarquinius occisus esset, Tanaquil, celatâ ejus morte, populum ex superiori parte ædium allocuta, ait regem, gravi quidem sed non lethali vulnere accepto, petere ut, interim dum convalescit, Servio Tullio dicto audientes essent. Servius Tullius quasi precariò regnare cœpit, sed rectè imperium administravit.

Servius Tullius aliquod urbi decus addere voluit. Jam tum inclytum erat Dianæ Ephesiæ fanum. Id communiter à civitatibus Asiæ factum fama ferebat. Itaque Latinorum populis suasit ut et ipsi Romæ fanum Dianæ cum populo Romano ædificarent. Quo facto, bos miræ magnitudinis cuidam Latino nata dicitur, et responsum somnio datum, eum populum summam imperii habiturum cujus civis bovem illam immolasset. Latinus bovem ad fanum Dianæ perduxit, et causam sacerdoti Romano exposuit. Sacerdos callidus dixit eum debere priùs vivo flumine manus abluere. Dum Latinus ad Tiberim descendit, sacerdos bovem immolavit. Ita imperium civibus, sibique gloriam vindicavit.

Servius Tullius filiam alteram ferocem, mitem alteram habebat. Duo quoque Tarquinii Prisci filii longè dispares moribus erant: Tullia ferox Tarquinio miti nupserat; Tullia verò mitis, Tarquinio feroci; sed mites, seu fortè, seu fraude, perierunt: feroces morum similitudo conjunxit. Statim Tarquinius Superbus, à Tullià incitatus, advocato senatu, regnum paternum repetere cœpit: quâ re auditâ, Servius dum ad curiam contendit, jussu Tarquinii gradibus dejectus, et domum refugiens interfectus est. Tullia carpento vecta in forum properavit, virum è curiâ evocavit, et prima regem salutavit: à quo jussa à turbâ decedere, quum domum rediret, viso patris corpore, mulionem evitantem super ipsum corpus carpentum agere præcepit. Unde vicus ille *sceleratus* dictus est. Servius Tullius regnavit annos quatuor et quadraginta.

VIII. TARQUINIUS SUPERBUS, ROMANORUM REX SEPTIMUS ET ULTIMUS.

Ante J. C. 533; *Anno U. C.* 220.

Tarquinius Superbus regnum scelestè occupavit. Tamen bello strenuus hostes domuit. Urbem Gabios in potestatem redegit fraude Sexti filii. Is, quum indignè ferret eam urbem à patre expugnare non posse, ad Gabinos se contulit, patris in se sævitiam querens. Benignè à Gabinis exceptus est, et paulatim eorum benevolentiam fictis blanditiis alliciendo, dux belli electus est. Tum è suis unum ad patrem mittit sciscitatum quidnam se facere vellet. Pater nuncio filii nihil respondit, sed in hortum transiit; ibique inambulans, sequente nuncio, altissima papaverum capita baculo decussit. Nuncius, fessus exspectando, redit Gabios. Sextus, cognito silentio patris simul ac pacto, intelexit quid vellet pater. Primores civitatis interemit, patrique urbem sinè ullâ dimicatione tradidit.

Postea Tarquinius Superbus Ardeam urbem oppugnavit. Ibi Tarquinius Collatinus, sorore regis natus, fortè cœnabat apud Sextum Tarquinium cum aliis juvenibus regiis. Incidit de uxoribus mentio: quum unusquisque suam laudaret, placuit experiri. Itaque equis Romam petunt: regias nurus in convivio et luxu deprehendunt. Pergunt inde Collatiam: Lucretiam, Collatini uxorem, inter ancillas in lanificio inveniunt. Ea ergo cæteris prestare judicatur. Paucis interjectis diebus, Sextus Collatiam rediit, et Lucretiæ vim attulit. Illa postero die, advocatis patre et conjuge, rem exposuit, et se cultro, quem sub veste texerat, occidit. Conclamant vir paterque, et in exitium regum conjurant. Tarquinio Roman redeunti clausæ sunt urbis portæ, et exsilium indictum.

IX. JUNIUS BRUTUS, ROMANORUM CONSUL PRIMUS.

Ante J. C. 510; *Anno U. C.* 244.

Junius Brutus, sorore Tarquinii natus, quum eamdem fortunam timeret in quam frater inciderat, qui ob divitias et prudentiam fuerat ab avunculo occisus, stultitiam finxit, unde Brutus dictus est. Profectus Delphos cum Tarquinii filiis, quos pater ad Apollinem muneribus honorandum miserat, baculo sambuceo aurum inclusum Deo domum tulit. Peractis deinde mandatis patris, juvenes Apollinem consuluerunt quisnam ex ipsis Romæ regnaturus esset. Responsum est eum Romæ summam potestatem habiturum qui primus matrem oscularetur. Tunc Brutus

perinde atque casu prolapsus, terram osculatus est, quòd ea communis sit mater omnium mortalium.

Expulsis regibus, duo consules creati sunt, Junius Brutus, et Tarquinius Collatinus, Lucretiæ maritus. At libertas modò parta, per dolum et proditionem penè amissa est. Erant in juventute Romanâ adolescentes aliquot, sodales Tarquiniorum. Hi de accipiendis nocte in urbem regibus colloquuntur, ipsos Bruti consulis filios in societatem consilii assumunt. Sermonem eorum ex servis unus excepit; rem ad consules detulit. Scriptæ ad Tarquinium litteræ manifestum facinus fecerunt. Proditores in vincula conjecti sunt, deinde damnati. Stabant ad palum deligati juvenes nobilissimi; sed præ cæteris liberi consulis omnium in se oculos convertebant. Consules in sedem processere suam, missique lictores nudatos virgis cædunt, securique feriunt. Suplicii non spectator modò, sed et exactor erat Brutus, qui tunc patrem exuit, ut consulem ageret.

Tarquinius deinde bello aperto regnum recuperare tentavit. Equitibus præerat Aruns, Tarquinii filius; rex ipse cum legionibus sequebatur. Obviam hosti consules eunt; Brutus ad explorandum cum equitatu antecessit. Aruns, ubi Crutum agnovit, inflammatus irâ: «Ille est vir, inquit, qui nos patriâ expulit; en ille nostris decoratus insignibus magnificè incedit.» Tum concitat calcaribus equum, atque in ipsum consulem dirigit; Brutus avidè se certamini offert. Adeò infestis animis concurrerunt ut ambo hastâ transfixi ceciderint; fugatus est tamen Tarquinius. Alter consul Romam triumphans rediit. Bruti collegæ funus, quanto potuit apparatu, fecit. Brutum matronæ, ut parentem, anno luxerunt.

X. HORATIUS COCLES.

Ante J. C. 507; *Anno U. C.* 246.

Porsena, rex Etruscorum, ad restituendum Tarquinios cum infesto exercitu Romam venit. Primo impetu Janiculum cepit. Non usquam aliàs antè tantus terror Romanos invasit: ex agris in urbem demigrant; urbem ipsam sepiunt præsidiis. Alia urbis pars muris, alia Tiberi objecto tuta videbatur. Pons Sublicius iter penè hostibus dedit, nisi unus vir fuisset Horatius Cocles, illo cognomine quòd in alio prælio oculum amiserat. Is pro ponte stetit, et aciem hostium solus sustinuit, donec pons à tergo interrumperetur. Ipsâ audaciâ obstupefecit hostes; ponte rescisso, armatus in Tiberim desiluit, et incolumis ad suos trasnavit. Grata erga tantam virtutem civitas fuit; ei tantùm agri datum est quantùm unâ die circumarari potuisset. Statua quoque in comitio posita.

XI. MUCIUS SCÆVOLA.

Ante J. C. 507; *Anno U. C.* 246.

Quum Porsena Romam obsideret, Mucius, vir Romanæ constantiæ, senatum adiit, et veniam trasfugiendi petiit, necem regis repromittens. Acceptâ potestate, in castra Porsenæ venit. Ibi in confertissimâ turbâ prope regium tribunal constitit. Stipendium tunc fortè militibus dabatur, et scriba cum rege pari ferè ornatu sedebat. Mucius illum pro rege deceptus occidit. Apprehensus et ad regem pertractus, dextram accenso ad sacrificium foculo injecit; hoc supplicii à reâ exigens, quòd in cæde peccasset. Attonitus miraculo, rex juvenem amoveri ab altaribus jussit. Tum Mucius, quasi beneficium remunerans, ait trecentos sui similes adversùs eum conjurasse. Quâ re ille territus, bellum, acceptis obsidibus, deposuit.

XII. CLÆLIA VIRGO.

Ante J. C. 507; *Anno U. C.* 246.

Porsena Clæliam, virginem nobilem, inter obsides accepit. Quum ejus castra haud procul ripâ Tiberis locata essent, Clælia deceptis custodibus noctu egressa, equum, quem sors dederat, arripuit, et Tiberim trajecit. Quod ubi regi nunciatum est, primò ille incensus irâ Romam legatos misit ad Clæliam obsidem reposcendam: Romani eam ex fœdere restituerunt. Tum rex virginis virtutem admiratus, eam laudavit, ac parte obsidum donare se dixit, permisitque ut ipsa quos vellet, legeret. Productis obsidibus, Clælia virgines puerosque elegit quorum ætatem injuriæ obnoxiam sciebat, et cum iis in patriam rediit. Romani novam in feminâ virtutem novo genere honoris, statuâ equestri, donavere. In summâ viâ Sacrâ fuit posita virgo insidens equo.

XIII. PUBLIUS VALERIUS PUBLICOLA.

Ante J. C. 506; *Anno U. C.* 247.

Tarquinius Collatinus se consulatu abdicavit, quòd invisum esset populo Tarquinii nomen. Itaque consul creatus est Publius Valerius, quo adjutore Brutus reges ejecerat. Hic tamen, quia in locum Bruti mortui alterum consulem non subrogaverat, et domum in alto atque munito loco habebat, in suspicionem regni affectati venit. Quo cognito, apud populum questus est quòd de se tale aliquid timuissent, et misit

qui domum suam diruerent. Dempsit etiam secures fascibus, eosque in populi concione submisit, quasi major populi quàm consulis majestas esset. Gratum in multitudini spectaculum fuit. Inde Valerio cognomen Publicolæ datum est. Quum quartum consul fuisset, mortuus est adeò pauper ut funeri sumptus deesset. Collectis à populo nummis est sepultus, et annuo matronarum luctu honoratus.

XIV. FABII TRECENTI SEX.

Ante J. C. 479; *Anno U. C.* 274.

Vexabantur incursionibus Veientium Romani. Tum Fabia gens senatum adit; consul Fabius pro gente loquitur. «Vos alia bella curate; Fabios hostes Veientibus date: istud bellum privato sumptu gerere nobis in animo est.» Ei gratiæ ingentes actæ sunt. Consul è curiâ egressus, comitante Fabiorum agmine, domum rediit. Manat totâ urbe rumor: Fabios ad cœlum laudibus ferunt; Fabii posterâ die arma capiunt. Nunquam exercitus neque minor numero, neque clarior famâ et admiratione hominum per urbem incessit. Ibant sex et trecenti milites omnes patricii, omnes unius gentis. Ad Cremeram flumen perveniunt. Is opportunus visus est locus communiendo præsidio. Hostes non semel fusi pacem supplices petunt.

Veientes pacis impetratæ brevi pœnituit. Itaque, redintegrato bello, inierunt consilium insidiis ferocem hostem captandi. Multo successu Fabiis audacia crescebat. Quum igitur palati passim agros popularentur, pecora à Veientibus obviàm acta sunt, ad quæ progressi Fabii, in insidias circa ipsum iter locatas delapsi sunt, et omnes ad unum perierunt. Dies, quo id factum est, inter nefastos relatus fuit; porta, quâ profecti fuerant, *Scelerata* est appellata. Unus omnino superfuit ex eâ gente, qui, propter ætatem impuberem, domi relictus fuerat. Is genus propagavit ad Quintum Fabium Maximum, qui Annibalem morâ fregit.

XV. AULUS POSTUMIUS DICTATOR.

Ante J. C. 496; *Anno U. C.* 257.

Tarquinius ejectus ad Mamilium Tusculanum, generum suum, confugerat. Quum ille, concitato Latio, Romanos graviter urgeret, nova Romæ dignitas creata est, quæ *Dictatura* appelata est, major quàm consulatus. Tunc creatus magister equitum, qui dictatori etiam obsequeretur. Aulus Postumius dictator factus, cum hostibus apud Regillum lacum conflixit, ubi, quum victoria nutaret, magister equitum equis

frenos detrahi jussit, ut irrevocabili impetu ferrentur: itaque et aciem Latinorum fuderunt, et castra cœperunt. Tarquinius Cumas se contulisse dicitur, in eâque urbe senio et ægritudine esse confectus.

XVI. MENENIUS AGRIPPA.

Ante J. C. 493; *Anno U. C.* 260.

Menenius Agrippa concordiam inter patres plebemque restituit. Nam quum plebs à patribus secessisset, quòd tributum et militiam non toleraret, Agrippa, vir facundus ad plebem missus est. Qui intromissus in castra, nihil aliud quàm hoc narrasse fertur: «Olim humani artus, quum ventrem otiosum cernerent, ab eo discordarunt, conspiraruntque ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. At, dum ventrem domare volunt, ipsi quoque defecerunt, totumque corpus ad extremam tabem venit: inde apparuit ventris haud segne ministerium esse, eumque acceptos cibos per omnia membra disserere, et cum eo in gratiam redierunt. Sic senatus et populus quasi unum corpus discordià pereunt, concordià valent.»

Hac fabulâ Menenius flexit hominum mentes: plebs in urbem regressa est. Creavit tamen tribunos, qui libertatem suam adversùs nobilitatis superbiam defenderent. Paulò pòst mortuus est Menenius, vir omni vitâ pariter patribus ac plebi carus; post restitutam civium concordiam carior plebi factus. Is tamen in tantâ paupertate decessit ut eum populus collatis quadrantibus sepeliret, locum sepulcro senatus publicè daret. Potest consolari pauperes Menenius, sed multò magis docere locupletes quàm non sit necessaria solidam laudem cupienti nimis anxia divitiarum comparatio.

XVII. QUINCTIUS CINCINNATUS.

Ante J. C. 460; *Anno U. C.* 293.

Æqui consulem Minucium atque exercitum ejus circumsessos tenebant. Id ubi Romæ nunciatum est, tantus pavor, tanta trepidatio fuit, quanta si urbem ipsam, non castra, hostes obsiderent: quum autem in altero consule parum esse præsidii videretur, dictatorem dici placuit, qui rem afflictam restitueret. Quinctius Cincinnatus omnium consensu dictator est dictus. Ille, spes unica imperii Romani, trans Tiberim quatuor jugerum colebat agrum. Ad quem missi legati nudum eum arantem offenderunt. Salute datâ invicem redditâque, Quinctius togam properè è tugurio proferre uxorem Raciliam jussit, ut senatûs mandata togatus audiret.

Postquam, absterso pulvere ac sudore, togâ indutus processit Quinctius, dictatorem eum legati gratulantes consalutant; quantus terror in exercitu sit, exponunt. Quinctius igitur Romam venit, et antecedentibus lictoribus domum deductus est. Postero die profectus, cæsis hostibus, exercitum Romanum liberavit. Urbem triumphans ingressus est. Ducti ante currum hostium duces, militaria signa prælata: secutus est exercitus præda onustus; epulæ instructæ ante omnium domos. Quinctius sexto decimo die dictaturâ, quam in sex menses acceperat, se abdicavit, et ad bovis rediit triumphalis agricola.

XVIII. CAJUS MARCIUS CORIOLANUS.

Ante J. C. 493; Anno U. C. 260.

Cajus Marcius, gentis patriciæ, à captis Coriolis urbe Volscorum, Coriolanus dictus est. Patre orbatus adhuc puer, sub matris tutelâ adolevit. Sortitus erat à naturâ nobiles ad laudem impetus; sed quia doctrina non accessit, iræ impotens, obstinatæque pervicaciæ fuit. Quum prima stipendia facere cœpisset adolescens, è multis prœliis quibus interfuit nunquam rediit nisi donatus coronâ aliove militari præmio. In omni vitæ ratione nihil aliud sibi proponebat quàm ut matri placeret: quumque illa audiret filium laudari, aut coronâ donari videret, tum demum felicem se putabat. Eâ oblectandâ et colendâ satiari non poterat. Illâ cupiente, uxorem duxit: illius in ædibus cum uxore habitavit.

Coriolanum, post insignem victoriam ejus operâ maximè partam, Postumius consul apud milites laudavit: eum militaribus donis onerare voluit; agri centum jugera, decem captivos, totidem ornatos equos, centum boves et argenti pondus quantùm sustinere potuisset, offerebat. Coriolanus verò nihil ex his omnibus accepit, præter unius hospitis captivi salutem et equum. Consul factus, gravi annonâ advectum è Siciliâ frumentum magno pretio dandum populo curavit, ut plebs agros, non seditiones, coleret. Quâ de causâ damnatus, ad Volscos concessit, eosque adversùs Romanos concitavit. Imperator à Volscis factus, ad quartum ab urbe lapidem castra posuit, et agrum Romanum est populatus.

Missi sunt Româ ad Coriolanum oratores de pace; sed atrox responsum retulerunt. Iterum deinde missi, ne in castra quidem recepti sunt. Sacerdotes quoquè suis infulis velati ad eum iverunt supplices, nec magis animum ejus flexerunt. Stupebat senatus; trepidabat populus; viri pariter ac mulieres exitium imminens lamentabantur. Tum Veturia Coriolani mater, et Volumnia uxor, duos parvos filios secum trahens castra hostium petierunt. Ubi matrem aspexit Coriolanus: «O patria,

inquit, vicisti iram meam admotis matris meæ precibus: cui tuam in me injuriam condono.» Complexus inde suos, castra movit; et exercitum ex agro Romano abduxit. Coriolanus postea à Volscis, ut proditor, occisus dicitur.

XIX. LUCIUS VIRGINIUS CENTURIO.

Ante J. C. 453; *Anno U. C.* 300.

Anno trecentesimo ab urbe conditâ, pro duobus consulibus decemviri creati sunt, qui allatas è Græciâ leges populo proponerent. Unus ex iis Appius Claudius virginem plebeiam adamavit. Quam quum Appius non posset pretio ac spe pellicere, clienti suo negotium dedit ut eam in servitutem deposceret: facilè victurus, quum ipse esset et accusator et judex. Lucius Virginius, puellæ pater, tunc aberat militiæ causâ. Cliens igitur virgini venienti in forum injecit manum, affirmans suam esse servam: eam sequi se jubet; ni faciat, minatur se cunctantem vi abstracturum. Pavidâ puellâ stupente, ad clamorem nutricis fit concursus. Quum ille puellam non posset abducere, eam vocat in jus ipso Appio judice.

Interea missi nuncii ad Virginium properant. Is primâ luce Romam advenit, quum jam civitas in foro exspectatione erecta staret. Virginius statim in forum lacrymabundus, et civium opem implorans, filiam suam deducit. Appius, obstinatum gerens animum, in tribunal ascendit, et Virginiam clienti suo abdixit. Tum pater, ubi nihil usquam auxilii vidit: «Quæso, inquit, Appi, ignosce patrio dolori; sine me filiam ultimò alloqui.» Datâ veniâ, pater filiam in secretum abducit. Ab lanio cultrum arripit, et pectus puellæ transfigit. Tum ferro sibi viam facit, et respersus cruore ad exercitum profugit. Concitatus exercitus montem Aventinum occupavit; decem tribunos militum creavit; decemviros magistratu se abdicare coegit, eosque omnes aut morte aut exsilio mulctavit; ipse Appius Claudius in carcere necatus est.

XX. CAJUS LICINIUS STOLO.

Ante J. C. 364; *Anno U. C.* 389.

Fabius Ambustus ex duabus filiabus majorem Aulo Sulpitio patricio, minorem Licinio Stoloni plebeio, conjugem dedit. Aulus Sulpitius tribunus militum erat potestate consulari. Quum in ejus domo sorores Fabiæ inter se tempus sermonibus tererent, fortè incidit ut Sulpitius de foro domum se reciperet, et ejus lictor fores, ut mos est, virgâ percuteret. Minor Fabia, moris ejus insueta, id expavit: risui sorori fuit, miranti sororem id ignorare. Confusam eam quum pater vidisset,

sciscitanti confessa est eam esse causam doloris, quòd viro plebeio juncta esset. Consolatur filiam Ambustus, polliceturque eosdem honores domi propediem visuram quos apud sororem videat. Inde consilia inire cœpit cum genero; qui, ubi tribunatum plebis aggressus est, legem tulit ut alter consul ex plebe crearetur. Lex resistentibus patribus lata tamen est, et primus Licinius Stolo consul è plebe factus.

XXI. MARCUS FURIUS CAMILLUS.

Ante J. C. 398: *Anno U. C.* 360.

Qum Marcus Furius Camillus urbem Falerios obsideret, ludi magister plurimos et nobilissimos inde pueros, velut ambulandi gratiâ eductos, in castra Romanorum perduxit: quibus Camillo traditis, non erat dubium quin Falisci, deposito bello, sese Romanis dedituri essent; sed Camillus perfidiam proditoris detestatus: «Non ad similem tuî, inquit, venisti: sunt belli sicut et pacis jura: arma habemus, non adversùs eam ætatem cui etiam captis urbibus parcitur, sed adversùs armatos qui castra Romana oppugnaverunt.» Denudari deinde ludi magistrum jussit, cum manibus post tergum alligatis in urbem reducendum pueris tradidit, virgasque eis dedit, quibus euntem verberarent. Statim Falisci, beneficio magis quàm armis victi, portas Romanis aperuerunt.

Camillus post multa in patriam merita, judicio populi damnatus exsulatum abiit. Urbe egrediens ab Diis precatus esse dicitur ut, si innoxio sibi ea injuria fieret, desiderium sui facerent ingratæ patriæ quamprimum. Neque multò postea res evenit. Nam Galli Senones Clusium, Etruriæ oppidum, obsederunt. Clusini, novo bello exterriti, ab Romanis auxilium petierunt. Missi sunt Româ tres legati, qui Gallos monerent ut ab oppugnatione desisterent. Ex his legatis unus contra jus gentium in aciem processit, et ducem Senonum interfecit. Quâ re commoti Galli, petitis in deditionem legatis nec impetratis, ad urbem venerunt, et exercitum Romanum apud Alliam fluvium cecîderunt die decimo sexto calendas Augusti: qui dies inter nefastos relatus, *Aliensis* dictus est.

Gali victores paulò ante solis occasum, ad urbem Romam perveniunt. Postquam hostes adesse nunciatum est, juventus Romana, duce Manlio, in arcem conscendit; seniores verò, domos ingressi, adventum Gallorum obstinato ad mortem animo exspectabant. Qui inter eos curules magistratus gesserant, ornati honorum insignibus in vestibulis ædium eburneis sellis insedere, ut quum venisset hostis, in suâ dignitate morerentur. Interim Galli, domos patentes ingressi, vident viros ornatu et vultûs majestate Diis simillimos. Quum Galli ad eos, veluti simulacra, conversi starent, unus ex his senibus dicitur Gallo barbam

suam permulcenti scipionem eburneum in caput incussisse. Iratus Gallus eum occîdit: ab eo initium cædis ortum est. Deinde cæteri omnes in sedibus suis trucidati sunt.

Galli deinde impetum facere in arcem statuunt. Primo militem, qui tentaret viam, præmiserunt. Tum nocte sublustri, sublevantes invicem et trahentes alii alios in summum saxum evaserunt, tanto silentio ut non solùm custodes fallerent, sed ne canes quidem, sollicitum animal, excitarent. Anseres non fefellere, quibus in summâ inopiâ Romani abstinuerant, quia aves erant Junoni sacræ: quæ res Romanis saluti fuit. Namque clangore anserum alarumque crepitu excitus, Manlius, vir bello egregius, cæteros ad arma vocans, Gallos ascendentes dejecit: unde nos iste incessit ut solenni pompâ canis in furcâ suffixus feratur; anser verò velut triumphans in lecticâ et veste stragulâ gestetur.

Tunc consensu omnium elacuit ab exsilio Camillum acciri. Missi igitur ad eum legati, ipseque dictator absens dictus est. Interim fames utrumque exercitum urgebat; at, ne Galli putarent Romanos eâ necessitate ad deditionem cogi, multis locis de Capitolio panis jactatus est in hostium stationes. Eâ re adducti sunt Galli ut haud magnâ mercede obsidionem relinquerent. Pactum est pretium milli pondo auri. Nondum omni auro appenso, Camillus dictator intervenit, Collectis Romani exercitus reliquiis; auferri aurum de medio jubet, denuntiatque Gallis ut se ad prælium expediant. Instruit deinde aciem, et Gallos internecione occidit. Ne nuncius quidem cladis relictus est. Dictator, recuperatâ ex hostibus patriâ, triumphans urbem ingressus est et à militibus *parens patriæ*, *conditorque alter urbis* appelatus est.

XXII. TITUS MANLIUS TORQUATUS.

Ante J. C. 360; *Anno U. C.* 393.

Titus Manlius, ob ingenii et linguæ tarditatem, à patre rus relegatus fuerat. Quum audisset patri diem dictam esse à Pomponio, tribuno plebis, cepit consilium rudis quidem et agrestis animi, sed pietate laudabile. Cultro succinctus manè in urbem, atque à portâ confestim ad Pomponium pergit: introductus, cultrum stringit, et super lectum Pomponii stans, se eum transfixurum minatur nisi ab incœptâ accusatione dessistat. Pavidus tribunus, quippe qui cerneret ferrum ante oculos micare, acusationem dimisit. Ea res adolescenti honori fuit, quòd animum eodem ejus acerbitas paterna à pietate mori avertisset, ideoque eodem anno tribunus militum factum est.

Quum postea Galli ad tertium lapidem trans Anienem fluvium castra posuissent, exercitus Romanus ab urbe profectus est, et in citeriore ripâ fluvii constitit. Pons in medio erat: tunc Gallus eximiâ corporis

magnitudine in vacuum pontem processit, et quàm maximâ voce potuit: « Quem nunc, inquit, Roma fortissimum habet, is procedat ad pugnam, ut eventus ostendat utra gens bello sit melior. » Diù inter primores juvenum Romanorum silentium fuit. Tum Titus Manlius ex statione ad imperatorem, pergit: Injussu tuo, inquit, imperator extra ordinem nunquam pugnaverim, non, si certam victoriam videam; si tu permittis, volo isti beluæ ostendere me ex eâ familiâ ortum esse quæ Gallorum agmen ex rupe Tarpeiâ deturbabit. » Cui imperator: « Macte virtute, inquit, Tite Manli, esto: perge, et nomen Romanum invictum præsta. »

Armant deinde juvenem æquales: scutum capit, Hispano cingitur gladio, ad propiorem pugnam habili. Expectabat eum Gallus stolidè lætus, et linguam ab irrisu exerens. Ubi constitere inter duas acies, Gallus essem cum ingenti sonitu in arma Manlii dejecit. Manlius verò insinuavit sese inter corpus et arma Galli, atque uno et altero ictu ventrem transfodit; jacenti torquem detraxit, quem cruore respersum collo circumdedit suo. Defixerat pavor cum admiratione Gallos; Romani alacres obviàm militi suo progrediuntur, et gratulantes laudantesque ad imperatorem perducunt. Manlius inde Torquati nomen accepit.

Idem Manlius, postea consul factus bello Latino, ut disciplinam militarem restitueret, edixit ne quis extra ordinem in hostes pugnaret. Fortè filius ejus accessit prope stationem hostium: is qui Latino equitatui præerat, ubi consulis filium agnovit. « Visne inquit, congredi mecum, ut singularis prælii eventu cernatur quantùm eques Latino Romano præstet? » Movit ferocem animum juvenis seu ira, seu detrectandi certaminis pudor. Oblitus itaque imperii paterni in certamen ruit, et Latinum ex equo excussum transfixit, spoliisque lectis, in castra ad patrem venit. Extemplo filium aversatus consul, milites classico advocat. Qui postquam frequentes convenere: « Quandoquidem, inquit, tu, fili, contra imperium consulis pugnasti, oportet ut disciplinam pœnâ tuâ restituas. Triste exemplum, sed in posterum salubre juventuti eris. I, lictor, deliga ad palum. » Metu omnes obstupuere; sed, postquam service cæsâ, fusus est cruor, in questus et lamenta erupere. Manlio Romam redeunti seniores tantùm obviàm exierunt: juventus et tunc eum, et omni deinde vitâ, exsecrata est.

XXIII. PUBLIUS DECIUS.

Ante J. C. 337; *Anno U. C.* 416.

P. Decius sub Valerio consule tribunus militum fuit. Quum exercitus Romanus in angustiis clausus esset, Decius conspexit editum collem

imminentem hostium castris. Accepto præsidio, verticem occupavit, hostes terruit, et spatium consuli dedit ad subducendum agmen in æquiorem locum. Ipse intempestâ nocte per medias hostium custodias somno oppressas incolumis evasit. Quare ab exercitu donatus est coronâ civica, quæ dabatur ei qui obsidione cives liberasset. Consul fuit bello Latino cum Manlio Torquato. Tunc quum utrique consuli somnio obvenisset, eum populum victorem fore cujus dux in prælio cecidisset, convenit inter eos ut is, cujus cornu in acie laboraret, Diis se Manibus devoveret. Inclinante suâ parte, Decius se et hostes Diis Manibus devovit. Armatus in equum insiluit, ac se in medios hostes immissit: corruit obrutus telis, et victoriam suis reliquit.

XXIV. VALERIUS CORVINUS.

Ante J. C. 346; *Anno U. C.* 407.

Bello Gallico, quum Romani in stationibus quieti tempus tererent, Gallus quidam, magnitudine atque armis insignis, ante alios progressus est; quatiensque scutum hastâ, quum silentium fecisset, unum è Romanis per interpretem provocavit, qui secum ferro decerneret. Marcus erat Valerius tribunus militum, adolescens, qui priùs sciscitatus consulis voluntatem, in medium armatus processit. Tunc res visu mirabilis accidisse fertur: nam quum jam manum consereret Valerius, repentè in galeâ ejus corvus insedit, in hostem versus. Ales non solùm captam semel sedem tenuit, sed, quotiescumque certamen initum est, levans se alis, os oculosque Galli rostro et unguibus appetiit. Hostem territum talis prodigii visu oculisque simul ac mente turbatum, Valerius obtruncat. Corvus, è conspectu elatus, orientem petit. Inde Valerius Corvinus dictus est.

Valerius Corvinus annos tres et viginti natus consul creatus, Samnites bis prælio fudit. Non aliàs dux militi carior fuit, quia nullus militi familiarior. Omnia inter infimos militum munia haud gravatè obibat. In ludo etiam militari, quum velocitatis viriumque certamina inter se æqualis ineunt, Valerius ipse cum eis certabat, nec quemquam aspernabatur parem qui se offerret. Semper comis et eodem vultu, seu vinceret, seu vinceretur. Quum postea in exercitu orta esset gravis seditio, parsque militum à cæteris defecisset, et ducem sibi fecisset, adversùs eos Valerius dictator missus est: qui ubi in conspectum venit, benigne milites allocutus, extemplo omnium iras permulsit, seditionem que compressit: adeò hominum animos conciliat comitas affabilitasque sermonis!

XXV. SPURIUS POSTUMIUS.

Ante J. C. 320; *Anno U. C.* 433.

Spurius Postumius consul, cum bellum adversùm Samnites gereret, à Pontio Thelesino, duce hostium, in insidias inductus est, is namque simulatos transfugas misit, qui Romanos monerent Luceriam, Apuliæ urbem, à Samnitibus obsideri. Non erat dubium quin Romani Lucerinis, bonis ac fidelibus sociis, opem ferrent. Luceriam duæ viæ ducebant, altera longior et tutior altera brevior et periculosior: festinatio breviorem elegit. Itaque quum in insidias venissent, qui locus *Furculæ Caudinæ* vocabatur, et fraus hostilis apparuisset, retro viam quà venerant repetunt; at eam hostium præsidio clausam inveniunt. Sistunt igitur gradum, et omni spe evadendi ademptâ, intuentes alii alios diù immobilis silent; deinde erumpunt in querelas adversùs duces, quorum temeritate in eum locum erant adducti. Ita noctem, tum cibi tum quietis immemores, traduxerunt.

Nec Samnites ipsi quid sibi faciendum in re tam lætâ sciebant. Pontius accitum patrem Herennium rogavit quid fieri placeret. Is, ubi audivit inter duos saltus clausum esse exercitum Romanum, dixit aut omnes esse occidendos ut vires frangerentur, aut omnes dimittendos esse incolumes ut beneficio obligarentur. Neutra sententia acepta fuit. Interea Romani, necessitate victi, legatos mittunt qui pacem petant: pax concessa est eâ lege ut omnes sub jugum traducerentur. Itaque paludamenta consulibus detracta, ipsique primi sub jugum missi, deinde singulæ legiones. Circumstabant armati hostes, exprobrantes illudentesque. Romanis è saltu egressis lux ipsâ morte tristior fuit: pudor fugere colloquia et cœtus hominum cogebat. Serò Romam ingressi sunt, et se in suis quisque ædibus abdiderunt.

Deliberante senatu de pace Caudinâ, Postumius sententiam dicere jussus: « Turpi spontione, inquit, quâ me obstrinxi, non tenetur populus Romanus, quando ejus injussu facta est; nec quidquam ex eâ, præter corpus meum, debetur Samnitibus. Iis dedite me nudum vinctumque; in me unum sæviant: exsolvam religione populum.» Senatus hanc animi magnitudinem admiratus, Postumium laudavit, ejusque sententiam secutus est. Traditus est igitur Postumius fecialibus, qui eum ad Samnites ducerent. Vestis ei detracta, manus post tergum vinctæ sunt; quumque apparitor, verecundiâ majestatis, Postumium laxè vinciret: « Quin tu, inquit ipse Postumius, adducis lorum, ut justa fiat deditio? » Tum ubi in cœtum Samnitium venit, factâ deditione, Postumius fecialis femur genu, quantâ potuit vi, percussit, et clarâ voce

ait se Samnitem civem esse, illum legatum; fecialem à se contra jus gentium violatum; eò justiùs bellum adversùs Samnites fore. Accepta non fuit à Samnitibus ista deditio, Postumiusque in castra Romana inviolatus rediit.

XXVI. LUCIUS PAPIRIUS CURSOR.

Ante J. C. 323; *Anno U. C.* 430.

Lucius Papirius, quum dictatorem se, adversis ominibus, contra Samnites profectum esse sensisset, ad auspicia repetenda Romam regressus est, ac priùs Quinto Fabio, magistro equitum, edixit ut sese loco teneret, neu, absente se, manum cum hoste consereret. Fabius post dictatoris profectionem, opportunitate ductus, acie cum Samnitibus conflixit. Neque meliùs res geri potuisset, si adfuisset dictator. Non miles duci, non dux militi defuit. Viginti millia hostium eo die cæsa traduntur. Haud multò pòst dictator advenit, plenus minarum iræque. Statim advocatâ concione, spoliari magistrum equitum, virgasque ac secures expediri jussit. Tum Fabius militum fidem implorare cœpit. Clamor in totâ concione est ortus; alibi preces, alibi minæ audiebantur. Itaque res in posterum diem est dilata.

Magister equitum noctu clam ex castris Romam profugit: quem dictator ipse secutus est. Vocato senatu, iterata contentio est; prehendi Fabium Papirius jussit. Tum Fabii pater ad populum provocavit. Populus Romanus ad preces et obtestationem versus, oravit dictatorem ut veniam adolescentiæ Fabii daret. Ipse adolescens ejusque pater procumbere ad genua dictatoris cœperunt, iramque deprecari. Tot precibus cessit Papirius. Is fuit vir non animi solùm vigore, sed etiam corporis viribus excellens. Præcipua pedum pernicitas inerat, quæ cognomen etiam dedit. Idem comis et jocorum studiosus. Quâdam die inambulans ante tabernaculum, prætorem Prænestinum, qui per timorem segniùs suos in prælium duxerat, vocari jussit, et, postquam eum graviter increpuit: «Lictor, expedi, inquit, secures;» et quum prætorem vidisset metu mortis attonitum: «Agedum, lictor, inquit, exscinde radicem hanc incommodam ambulantibus.» Deinde prætorem, mulctâ dicta, dimisit.

XXVII. PUBLIUS VALERIUS LÆVINUS.

Ante J. C. 282; *Anno U. C.* 471.

Tarentinis, quòd Romanorum legatis injuriam fecissent, bellum indictum est. Quibus auxilio venit Pyrrhus, rex Epirotarum, qui ge-

nus ab Achille ducebat. Contra Pyrrhum missus est consul Lævinus, qui, quum explora ores regis cepisset, jussit eos per castra Romana circumduci, tumque incolumes dimitti, ut ea quæ vidissent Pyrrho renunciarent. Mox, commissâ pugnâ, quum jam hostes pedem referrent, rex elephantos in Romanorum agmen agi jussit; tuncque mutata est prælii fortuna. Romanos vastorum corporum moles, terribilisque superadstantium armatorum species turbavit. Equi etiam, ad conspectum et odorem belluarum exterriti, sessores excutiebant, aut secum in fugam abripiebant. Nox prælio finem fecit.

Pyrrhus captivos Romanos summo honore habuit; occisos sepelivit; quos quum adverso vulnere et truci vultu etiam mortuos jacere cerneret, manus ad cœlum tulisse dicitur cum hac voce: « Ego talibus viris brevì orbem terrarium subegissem.» Deinde ad urbem Romam magnis itineribus contendit; omnia igne et ferro vastavit; ad vicesimum ab urbe lapidem castra posuit. Pyrrho obviàm venit Lævinus cum novo exercitu; quo viso, rex ait sibi eamdem adversùs Romanos esse fortunam quam Herculi adversùs hydram, cui tot capita renascebantur quot præcisa fuerant: deinde in Campaniam se recepit; missos à senatu de redimendis captivis legatos honorificè excepit; captivos sinè pretio reddidit, ut Romani, cognitâ jam ejus virtute, cognoscerent etiam liberalitatem.

Erat Pyrrho, utpote magno et forti viro, mitis ac placabilis animus: solet enim magni animi comes esse clementia. Ejus humanitatem experti sunt Tarentini. Ii scilicet, quum serò intellexissent se pro socio dominum accepisse, sortem suam liberis vocibus querebantur, et de Pyrrho multa temerè effutiebant, maximè ubi vino incaluerant. Itaque arcessiti ad regem sunt nonnulli, qui de eo in convivio protervè locuti fuerant; sed periculum simplex confessio culpæ discussit. Nam, quum rex percontatus fuisset an ea quæ ad aures suas pervenerant dixissent: «Et hæc diximus, inquiunt, rex; et, nisi vinum defecisset, longè plura et graviora dicturi fuimus.» Pyrrhus, qui malebat vini quàm hominum eam culpam videri, subridens eos dimisit.

Pyrrhus igitur, quum putaret sibi gloriosum fore pacem et fœdus cum Romanis post victoriam facere, Romam misit legatum Cineam, qui pacem æquis conditionibus proponeret. Erat is regi familiaris magnâque apud eum gratiâ valebat. Dicere solebat Pyrrhus se plures urbes Cineæ eloquentiâ quàm armorum vi expugnasse. Cineas tamen regiam cupiditatem non adulabatur: nam, quum in sermone Pyrrhus ei sua consilia aperiret, dixissetque se velle Italiam ditioni suæ subjicere, respondit Cineas: « Superatis Romanis, quid agere destinas, ò rex?—Italiæ vicina est Sicilia, inquit Pyrrhus, nec difficile erit eam armis occupare.» Tunc Cineas: « Occupatâ Siciliâ, quid postea ac-

turus es? » Rex, qui nondum Cineæ mentem perspiciebat: « In Africam, inquit, trajicere mihi animus est. » Pergit Cineas: « Quid deinde, ò rex? » Tum denique: « Mi Cinea, ait Pyrrhus, nos quieti dabimus, dulcique otio fruemur.»—«Quin tu, respondit Cineas, isto otio jam nunc frueris? »

Romam itaque venit Cineas, et domos principum cum ingentibus donis circumibat. Nusquam verò receptus est. Non à viris solùm, sed et à mulieribus spreta ejus munera. Introductus deinde in curiam, quum regis virtutem propensumque in Romanos animum verbis extolleret, et de conditionum æquitate dissereret, sententia senatûs ad pacem et fœdus faciendum inclinabat; tum Appius Claudius, senex et cæcus, in curiam lecticâ deferri se jussit, ibique gravissimâ oratione pacem dissuasit: itaque responsum Pyrrho à senatu est eum, donec Italiâ excessisset, pacem cum Romanis habere non posse. Senatus quoque vetuit captivos omnes, quos Pyrrhus reddiderat, ad veterem statum redire priusquam bina hostium spolia retulissent. Quare legatus ad regem reversus est: à quo quum Pyrrhus quæreret qualem Romam comperisset, respondit urbem sibi templum, senatum vero consessum regum esse visum.

XXVIII. CAIUS FABRICIUS.

Ante J. C. 278; *Anno U. C.* 475.

Caius Fabricius unus fuit ex legatis qui ad Pyrrhum de captivis redimendis venerant. Cujus postquam audivit Pyrrhus magnum esse apud Romanos nomen ut viri boni et bello egregii, sed admodum pauperis, eum præ ceteris benignè habuit, eique munera atque aurum obtulit. Omnia Fabricius repudiavit. Post ro die, quum illum Pyrrhus vellet exterrere conspectu subito elephantis, imperavit suis ut bellua post aulæum admoveretur Fabricio secum colloquenti. Quod ubi factum est, signo dato, remotoque aulæo repentè, bellua stridorem horrendum emisit, et proboscidem super Fabricii capus suspendit. At ille placidus subrisit, Pyrrhoque dixit: «Non me hodie magis tua commovet bellua quàm herì tuum aurum pellexit.»

Fabricii virtutem admiratus Pyrrhus, illum secretò invitavit ut patriam desereret, secumque vellet vivere, quartâ etiam regni sui parte oblatâ; cui Fabricius respondit: «Si me virum bonum judicas, cur me vis corrumpere? Sin verò malum, cur me ambis?» Anno interjecto, omni spe pacis inter Pyrrhum et Romanos conciliandæ ablatâ, Fabricius consul factus, contra eum missus est. Quumque vicina castra ipse et rex haberent, medicus regis nocte ad Fabricium venit, eique pollicitus est, si præmium sibi proposuisset, se Pyrrhum veneno necatu-

rum. Hunc Fabricius vinctum reduci jussit ad dominum, et Pyrrho dici quæ contra caput ejus medicus spopondisset. Tunc rex admiratus eum divisse fertur: «Ille est Fabricius qui difficiliùs ab honestate quàm sol à suo cursu posset averti.»

Quum Fabricius apud Pyrrhum legatus esset, Cineam audivit narrantem esse quemdam Athenis qui se sapientem profiteretur, eumdemque dicere omnia, quæ faceremus, ad voluptatem esse referenda. Tunc Fabricium exclamasse ferunt: «Utinam id hostibus nostris persuadeatur, quò faciliùs vinci possint, quum se voluptatibus dederint!» Nihil magis ab ejus vitâ alienum quàm voluptas et luxus. Tota ejus supellex argentea salino uno constabat et patellâ ad usum sacrorum, quæ tamen ipsa corneo pediculo sustinebatur. Cœnabat ad focum radices et herbas, quas in agro repurgando vulserat, quum legati à Samnitibus ad eum venerunt, magnamque ei pecuniam obtulerunt; quibus respondit: «Quandiu cupiditatibus imperare potero, nihil mi istâ pecuniâ opus erit: hanc ad illos reportate qui eâ indigent.»

Caius Fabricius cum Rufino, viro nobili, simultatem gerebat, ob morum dissimilitudinem, quum ille pecuniæ contemptor esset, hic verò avarus et furax existimaretur. Quia tamen Rufinus egregiè fortis ac bonus imperator erat, magnumque et grave bellum imminere videbatur, Fabricius auctor fuit ut Rufinus consul crearetur: quumque is deinde Fabricio gratias ageret, quòd se homo inimicus consulem fecisset: «Nihil est, inquit Fabricius, quòd mihi gratias agas, si malui compilari quàm venire.» Eumdem postea Fabricius censor factus senatu movit, quòd argenti facti decem pondo haberet. Fabricius omnem vitam in gloriosâ paupertate exegit, adeòque inops decessit ut, unde dos filiarum expediretur, non reliquerit. Senatus patris sibi partes desumpsit, et, datis ex communi ærario dotibus, collocavit.

XXIX. MANIUS CURIUS.

Ante J. C. 275; *Anno U. C.* 478.

Manius Curius contra Samnites profectus, eos ingentibus prœliis vicit. Romam regressus, in concione ait: «Tantùm agri cepi ut solitudo futura fuerit, nisi tantùm hominum cepissem: tantùm porrò hominum cepi ut fame perituri fuerint, nisi tantùm agri cepissem.» Ex tam opulentâ victoriâ adeò ditari noluit ut, quum à malevolis interversæ pecuniæ argueretur, gutto ligneo, quo uti ad sacrificia consueverat, in medium prolato, juraverit se nihil ampliùs de præda hostili in domum suam intulisse. Legatis Samnitum aurum offerentibus, quum ipse rapas in foco torreret: «Malo, inquit, hæc in fictilibus meis esse, et aurum

habentibus imperare.» Agri captivi septena jugera populo viritim divisit; quumque ei senatus jugera quinquaginta assignaret, plus accipere noluit quàm singulis fuerat datum, dixitque malum esse civem, cui non idem, quod aliis, satis esse posset.

Postea Curius consul creatus, adversùs Pyrrhum missus est: quumque eâ de causâ delectum haberet, et juniores tædio belli nomina non darent, conjectis in sortem omnibus tribubus, primum nomen urnâ extractum citari jussit: quum adolescens non responderet, bona ejus hastæ subjecit. Tunc ille ad tribunos plebis cucurrit, de injuriâ sibi factâ graviter querens, eorumque opem implorans. At Curius et bona ejus et ipsum quoque vendidit, dixitque non esse reipublicæ opus eo cive qui parere nesciret. Neque tribuni plebis adolescenti auxilio fuerunt; posteaque res in consuetudinem abiit, ut, delectu rite acto, qui militiam detrectaret, in servitutem venderetur. Hoc terrore cæteri adacti, nomina promptiùs dederunt.

His copiis Curius Pyrrhi exercitum cecîdit, deque eo rege triumphavit. Insignem triumphum fecerunt quatuor elephanti cum turribus suis tum primùm Romæ visi. Victus rex in Epirum reversus est; sed, relicto in urbe Tarentinâ præsidio, fidem sui reditûs fecerat. Itaque quum bellum renovaturus putaretur, Manium Curium iterum consulem fieri placuit. Sed inopinata mors regis Romanos metu liberavit. Pyrrhus enim, dum Argos oppugnat, urbem jam ingressus, à juvene quodam Argivo lanceâ leviter vulneratus est: mater adolescentis, anus pauperecula, cum aliis mulieribus è tecto domûs prælium spectabat; quæ, quum vidisset Pyrrhum in auctorem vulneris sui magno impetu ferri, periculo filii sui commota, protinus tegulam corripuit, et utrâque manu libratam in caput regis dejecit.

XXX. APPIUS CLAUDIUS CAUDEX.

Ante J. C. 263; *Anno U. C.* 490.

Appio Claudio consule, cœptum est primum adversùs Pœnos bellum. Quum Messanam, Siciliæ urbem, Carthaginienses et Hiero, rex Syracusanus, obsiderent, Appius Claudius ad Messanam liberandam missus est. Consul primò ad explorandos hostes nave piscatoriâ trajecit fretum inter Italiam et Siciliam interjectum. Ad quem venerunt nuncii ab Hannone, Pœnorum duce, hortantes ad pacem conservandam. Quum verò consul nullas conditiones admitteret, nisi Pœni ab oppugnatione desisterent, iratus Hanno exclamavit se non esse passurum Romanos vel manus in mari Siculo abluere. Non tamen potuit prohibere quin Claudius in Siciliam legionem traduceret, et Pœnos Messanâ expelleret.

Deinde Hiero apud Syracussas victus est. Qui eo periculo territus, Romanorum amicitiam petiit, et in eorum societate postea constanter permansit.

XXXI. CAIUS DUILIUS.

Ante J. C. 260; *Anno U. C.* 493.

Caius Duilius Pœnos navali prælio primus devicit. Is quum videret naves Romanas à Punicis velocitate superari, manus ferreas, quas *corvos* vocavere, instituit. Ea machina Romanis magno usui fuit: nam, injectis illis corvis, hostilem navem apprehendebant, deinde, superjecto ponte, in eam insiliebant, et gladio velut in pugnâ terrestri dimicabant: unde Romanis, qui robore præstabant, facilis victoria fuit. Inter pugnandum triginta hostium naves captæ sunt, tredecim mersæ. Duilius victor Romam reversus est, et primus navalem triumphum egit. Nulla victoria Romanis gratior fuit, quòd, invicti terrâ, jam etiam mari plurimùm possent. Itaque Duilio concessum est ut per omnem vitam, prælucente funali et præcinente tibicine, à cœnâ publicè rediret.

Annibal, dux classis Punicæ, è navi, quæ jam capienda erat, in scapham saltu se demisit, et Romanorum manus effugit. Veritus autem ne in patriâ classis amissæ pœnas daret, civium offensam astutiâ avertit: nam ex illâ infelici pugnâ priusquam cladis nuncius domum perveniret, quemdam ex amicis Carthaginem misit; qui curiam ingressus: «Vos, inquit, consulit Annibal, quum dux Romanorum magnis copiis maritimis instructus advenerit, an cum eo confligere debeat?» Acclamavit universus senatus: «Non est dubium quin confligendum sit.» Tum ille: «Fecit, inquit, et victus est.» Ita non potuerunt factum damnare quod ipsi fieri debuisse judicaverant. Sic Annibal victus crucis supplicium effugit: nam eo pœnæ genere dux, re malè gestâ, apud Pœnos afficiebatur.

XXXII. AULUS ATILIUS CALATINUS.

Ante J. C. 258; *Anno U. C.* 495.

Atilius Calatinus, consul, paucis navibus magnam Pœnorum classem superavit; sed postea, quum temerè exercitum in vallem iniquam duxisset, ab hostibus circumventus est. Romanos eximia virtus Calpurnii, tribuni militum, servavit. Is enim ad consulem accessit, eique: «Censeo, inquit, jubeas milites quadringentos ire ad hanc rupem inter medios hostes editam atque asperam, eamque occupare. Futurum enim profectò est ut hostes properent ad occursandum nostris militibus, at-

que ita circa eum rupem atrox pugna fiat; at tu interea tempus habebis exercitûs ex loco infesto educendi. Alia, nisi hæc, salutis via nulla est.» Respondit consul: «Fidum quidem et providum hoc consilium videtur; sed quisnam erit qui ducat quadringentos illos milites ad eum locum?—Si alium, inquit Calpurnius, neminem reperis, me ad hoc consilium perficiendum uti potes. Ego hanc tibi et reipublicæ animam do.»

Consul tribuno gratias egit, et quadringentos milites dedit. Quos Calpurnius admonens quem in locum deduceret, et quo consilio: «Moriamur, inquit, commilitones, et morte nostrâ eripiamus ex obsidione circumventas legiones.» Omnes nullâ spe evadendi, sed amore laudis accensi proficiscuntur. Mirati sunt primò hostes eam militum manum ad se venire. Deinde, ubi cognitum est eos ad illam rupem obtinendam iter intendere, adversùs illos arma verterunt. Romani repugnant: fit prælium diù anceps. Tandem superat multitudo: quadringenti omnes perfossi gladiis aut missilibus operti cadunt. Consul interim, dum ea pugna fit, se in loca edita et tuta subducit.

Virtuti par fuit Calpurnii fortuna: nam ita evenit ut, quum multis locis saucius factus esset, nullum tamen in capite vulnus acciperet. Inter mortuos multis confossus vulneribus, sed adhuc spirans, inventus est; convaluit, sæpeque postea operam reipublicæ strenuam navavit. Ei merces egregii facinoris data est corona graminea, quâ nulla nobilior corona fuit in præmium virtutis bellicæ apud populum terrarum principem, et quæ ab universo exercitu servato decerni solebat.

XXXIII. MARCUS ATILIUS REGULUS.

Ante J. C. 267; *Anno U. C.* 486.

Marcus Regulus Pœnos magnâ clade affecit. Tunc ad eum Hanno Carthaginiensis venit quasi de pace acturus, sed revera ut tempus traheret, donec novæ copiæ ex Africâ advenirent. Is ubi ad consulem accessit, exortus est clamor, auditaque vox: «Idem huic faciendum esse quod paucis antè annis Cornelio Romano à Pœnis factum fuerat.» Cornelius porrò per fraudem veluti in colloquium evocatus, à Pœnis comprehensus fuerat, et in vincula conjectus. Jam Hanno timere incipiebat, sed periculum callido dicto avertit: «Hoc vos, inquit, si feceritis, nihilo eritis Afris meliores.» Consul tacere jussit eos qui par pari referri volebant, et conveniens gravitati Romanæ responsum dedit: «Isto te metu, Hanno, fides Romana liberat.» De pace non convenit, quia nec Pœnus seriò agebat, et consul victoriam quàm pacem malebat.

Regulus deinde in Africam primus Romanorum ducum trajecit. Clypeam urbem et trecenta castella expugnavit; neque cum hominibus tantùm, sed etiam cum monstris dimicavit. Nam quum apud flumen Bagradam castra haberet, anguis miræ magnitudinis exercitum Romanum vexabat: multos milites ingenti ore corripuit; plures caudæ verbere elisit; nonnullos ipso pestilentis halitûs afflatu exanimavit. Neque is telorum ictu perforari poterat: quidpe qui durissimâ squamarum loricâ omnia tela facilè repelleret. Confugiendum fuit ad machinas, et advectis balistis, tanquam arx quædam munita, dejiciendus hostis fuit. Tandem saxorum pondere oppressus jacuit; sed cruore suo flumen et vicinam regionem infecit, Romanosque castra movere coegit. Corium belluæ, centum et viginti pedes longum, Romam misit Regulus.

Regulo, ob res bene gestas, imperium in annum proximum prorogatum est. Quod ubi cognovit Regulus, scripsit senatui villicum suum in agello, quem septem jugerum habebat, mortuum esse, et servum, occasionem nactum, aufugisse, ablato instrumento rustico, ideoque petere se ut sibi successor in Africam mitteretur, ne, deserto agro, non esset unde uxor et liberi alerentur. Senatus, acceptis litteris, res quas Regulus amiserat publicâ pecuniâ redimi jussit; agellum colendum locavit, et alimenta conjugi ac liberis præbuit. Regulus deinde crebris prœliis Carthaginiensium opes contudit, eosque pacem petere coegit: quam quum Regulos nollet nisi durissimis conditionibus dare, illi à Lacedæmoniis auxilium petierunt.

Lacedæmonii Xantippum, virum belli peritissimum, Carthaginiensibus miserunt, à quo Regulus victus est ultimâ pernicie: duo tantùm millia hominum ex omni Romano exercitu remanserunt; Regulus ipse captus, et in carcerem conjectus est. Deinde Romam de permutandis captivis, dato jurejurando, missus est, ut, si non impetrasset, rediret ipse Carthaginem. Qui quum Romam venisset, inductus in senatum mandata exposuit, et primùm ne sententiam diceret recusavit, causatus se, quoniam in hostium potestatem venisset, jam non esse senatorem. Jussus tamen sententiam aperire, negavit esse utile captivos Pœnos reddi, quia adolescentes essent et boni duces, ipse verò jam confectus senectute. Cujus quum valuisset auctoritas, captivi retenti sunt.

Regulus deinde quum retineretur à propinquis et amicis, tamen Carthaginem rediit: neque verò tunc ignorabat se ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci, sed jusjurandum conservandum putavit. Reversum Carthaginienses omni cruciatu necaverunt: palpebris enim resectis, aliquandiu in loco tenebricoso tenuerunt, deinde quum sol esset ardentissimus, repentè eductum intueri cœlum coegerunt; postremò in arcam ligneam incluserunt, in quâ undique clavi præacuti eminebant. Ita, dum fessum corpus, quòcumque incli

naret, stimulis ferreis confoditur, vigiliis et dolore continuo exstinctus est. Hic fuit Atilii Reguli exitus ipsâ quoque vitâ, licèt per maximam gloriam diù actâ, clarior et illustrior.

XXXIV. APPIUS CLAUDIUS PULCHER.

Ante J. C. 250; *Anno U. C.* 503.

Appius Claudius, vir stultæ temeritatis, consul adversùs Pœnos profectus est. Priorum ducum consilia palàm reprehendebat, seque, quo die hostem vidisset, bellum perfecturum esse jactitabat. Antequam navale prælium committeret, auspicia habuit; quumque pullarius ei nunciasset pullos non exire è caveâ neque vesci, irridens jussit eos in aquam mergi, ut saltem biberent, quoniam esse nollent. Quo facto militum animos vana religio incessit: commisso deinde prælio, magna clades à Romanis accepta est; quorum octo millia cæsa sunt, viginti millia capta. Quare Claudius à populo condemnatus est: ea res calamitati fuit etiam Claudiæ, consulis sorori: nam quum illa, à ludis publicis rediens, turbâ premeretur, dixit: «Utinam frater meus viveret, classemque iterum duceret,» significans optare se ut nimis magna civium frequentia minueretur. Ob istam vocem impiam Claudia quoque damnata est.

XXXV. CAIUS LUTATIUS.

Ante J. C. 242; *Anno U. C.* 511.

Caius Lutatius, consul, finem primo bello Punico imposuit. Ei in Siciliam advenienti nunciatum est maximam classem Pœnorum ex Africâ venire: erant autem quadringentæ naves onustæ commeatu quem ad exercitum portabant, cui in Siciliâ præerat Amilcar Carthaginiensis. Dux classis Hanno, nobilis Pœnus, cui animus erat naves onere levare, easque deinde acceptis ab Amilcare delectis viris complere. At Lutatius, optimum ratus prævertere Hannonis adventum et cum classe gravi suisque oneribus impeditâ confligere, adversùs eum ad Ægates insulas cursum intendit. Nec longa fuit victoriæ mora: nam omnes Carthaginiensium naves brevi aut captæ, aut depressæ sunt. Ingens fuit præda. Pœni victi pacem postulârunt; quæ eis hac conditione concessa est ut omnibus insulis, quæ sunt inter Italiam et Africam, decederent, et certum populo Romano vectigal per viginti annos penderent.

XXXVI. QUINTUS FABIUS MAXIMUS.

Ante J. C. 218; *Anno U. C.* 535.

Annibal, Amilcaris filius, novem annos natus, à patre aris admotus, odium in Romanos perenne juravit. Quæ res maximè videtur concitasse secundum bellum Punicum. Nam, Amilcare mortuo, Annibal causam belli quærens, Saguntum, urbem Romanis fœderatam, evertit. Quapropter Româ missi sunt Carthaginem legati, qui populi Romani querimonias deferrent, et Annibalem, mali auctorem, sibi dedi postularent. Tergiversantibus Pœnis, Quintus Fabius, legationis princeps, sinu ex togâ facto: «Hîc ego, inquit, porto bellum pacemque; utrum placet, sumite.» Pœnis «bellum» succlamantibus, Fabius, excussâ togâ, bellum dare se dixit. Pœni accipere se responderunt, et, quo acciperent animo, eodem se gesturos.

Annibal, superatis Pyrenæi et Alpium jugis, in Italiam venit. Publium Scipionem apud Ticinum amnem, Sempronium apud Trebiam, Flaminium apud Trasimenum profligavit. Adversùs hostem toties victorem missus Quintus Fabius dictator, Annibalis impetum morâ fregit; namque, pristinis edoctus cladibus, belli rationem mutavit. Per loca alta exercitum ducebat, neque ullo loco fortunæ se committebat; castris, nisi quantùm necessitas cogeret, tenebatur miles. Dux neque occasioni rei bene gerendæ deerat, si qua ab hoste daretur, neque ullam ipse hosti dabat. Frumentatum exeunti Annibali opportunus aderat, agmen carpens, palantes excipiens. Ita exlevibus prœliis superior discessit, militemque cœpit minùs jam aut virtutis suæ, aut fortunæ pœnitere.

His artibus Annibalem Fabius in agro Falerno incluserat; sed ille callidus sinè ullo exercitûs detrimento se expedivit. Nempe arida sarmenta boum cornibus alligavit, eaque principio noctis incendit: metus flammæ relucentis ex capite boves velut stimulatos furore agebat. Hi ergo, accensis cornibus, per montes, per sylvas huc illuc discurrebant. Romani, qui ad speculandum concurrerant, miraculo attoniti constiterunt; ipse Fabius, insidias esse ratus, militem extra vallum egredi vetuit. Interea Annibal ex angustiis evasit. Dein Annibal, ut Fabio apud suos crearet invidiam, agrum ejus, omnibus circà vastatis, intactum reliquit. At Fabius omnem ab se suspicionem propulsavit: nam eumdem agrum vendidit, ejusque pretio captivos Romanos redemit.

Haud grata tamen erat Romanis Fabii cunctatio; eumque pro cauto timidum, pro considerato segnem vocitabant. Augebat invidiam Minu-

cius, magister equitum, dictatorem criminando: illum in ducendo bello tempus terere, quò diutiùs in magistratu esset, solusque et Romæ et in exercitu imperium haberet. His sermonibus accensa, plebs dictatori magistrum equitum imperio æquavit. Quam injuriam æquo animo tulit Fabius, exercitumque suum cum Minucio divisit. Quum postea Minucius temerè prælium commisisset, ei periclitanti auxilio venit Fabius. Cujus subito adventu compressus, Annibal receptui cecinit, palàm confessus abs se Minucium, à Fabio se victum esse. Eum quoquè ex acie redeuntem dixisse ferunt: «Nubes ista, quæ sedere in jugis montium solebat, tandem cum procellâ imbrem dedit.» Minucius, periculo liberatus, Fabium, cui salutem dedebat, *patrem* appellavit, eique deinceps parere non abnuit.

Postea Annibal Tarento per proditionem potitus est. In eam rem tredecim ferè juvenes nobiles Tarentini conspiraverant. Hi, nocte per speciem venandi urbe egressi, ad Annibalem, qui haud procul castra habebat, venerunt. Eos laudavit Annibal, monuitque ut redeuntes pascentia Carthaginiensium pecora ad urbem agerent, et prædam veluti ex hoste factam præfecto et custodibus portarum donarent. Id iterum sæpiùsque ab iis factum, eòque consuetudinis adducta res est ut, quocumque noctis tempore dedissent signum, porta urbis aperiretur. Tunc Annibal eos nocte mediâ cum decem millibus hominum delectis secutus est. Ubi portæ appropinquârunt, nota juvenum vox vigilem excitavit. Duo primi inferebant aprum vasti corporis. Vigil incautus, dum beluæ magnitudinem miratur, venabulo occisus est. Ingressi Pœni cæteros vigiles sopitos obtruncant. Tum Annibal cum suo agmine ingreditur: Romani passim trucidantur. Livius Salinator, Romanorum præfectus, cum iis qui cædi superfuerant, in arcem confugit.

Profectus igitur Fabius ad recipiendum Tarentum, urbem obsidione cinxit. Romanos plurimùm adjuvit res levis momenti. Præfectus præsidii Tarentini deperibat amore mulierculæ, cujus frater in exercitu Fabii erat Miles, jubente Fabio, pro perfugâ Tarentum transiit, ac per sororem præfecto conciliatus, eum ad tradendam urbem perpulit. Fabius vigiliâ primâ accessit ad eam partem muri quam præfectus custodiebat. Eo adjuvante, Romani muros inscenderunt. Inde, proximâ portâ refractâ, Fabius cum exercitu intravit. Annibal, auditâ Tarenti oppugnatione, ad opem ferendam festinavit; quumque ei esset nunciatum urbem captam esse: «Et Romani, inquit, suum Annibalem habent eâdem, quâ ceperamus, arte Tarentum amisimus.» Quum postea Livius Salinator coram Fabio gloriaretur quòd arcem Tarentinam retinuisset, diceretque eum suâ operâ Tarentum recepisse: «Certè, respondit Fabius, Tarentum nunquam recepissem, nisi tu perdidisses.»

Quintus Fabius jam senex filio suo consuli legatus fuit, quumque in

ejus castra veniret, filius obviàm patri progressus est; duodecim lictores pro more anteibant. Equo vehebatur senex, nec, appropinquante consule, descendit. Jam ex lictoribus undecim verecundiâ paternæ majestatis taciti præterierant. Quod quum consul animadvertisset, proximum lictorem jussit inclamare Fabio patri ut ex equo, descenderet. Pater tum desiliens: «Non ego, fili, inquit, tuum imperium contempsi, sed experiri volui an scires consulem agere:» Ad summam senectutem vixit Fabius Maximus, dignus tanto cognomine. Cautior quàm promptior habitus est, sed insita ejus ingenio prudentia bello, quod tum gerebatur, aptissima erat. Nemini dubium est quin rem Romanam cunctando restituerit.

XXXVII. PAULUS ÆMILIUS ET TERENTIUS VARRO.

Ante J. C. 216; *Anno U. C.* 537.

Annibal in Apuliam pervenerat. Adversùs eum Româ profecti sunt duo consules, Paulus Æmilius et Terentius Varro. Paulo solers Fabii cunctatio magis placebat; Varro autem, ferox et temerarius, acriora sequebatur consilia. Ambo apud vicum, qui *Cannæ* appellabatur, castra posuerunt. Ibi insitam Varroni temeritatem fortuna aliquo levium prœliorum successu aluerat: itaque invito collegâ aciem instruxit, et signum pugnæ dedit. Victus cæsusque est Romanus exercitus; nusquam graviori vulnere afflicta est respublica. Paulus Æmilius telis obrutus cecidit: quem quum mediâ in pugnâ oppletum cruore conspexisset quidam tribunus militum: «Cape, inquit, hunc equum, et fuge, Æmili.— Quin tu potiùs, respondit Paulus, abi; nuncia patribus ut urbem muniant, ac, priusquam hostis victor adveniat, præsidiis firment: tu me patere in hac militum meorum strage exspirare.» Alter consul cum paucis equitibus fugit.

Annibali victori quum cæteri gratularentur, suaderentque ut quietem ipse sumeret et fessis militibus daret, unus ex ejus præfectis, Maharbal, minimè cessandum ratus, Annibalem hortabatur ut statim Romam pergeret, die quinto victor in Capitolio epulaturus. Quumque Annibali illud consilium non probaretur, Maharbal adjecit: «Vincere scis, Annibal, sed victoriâ uti nescis.» Mora hujus diei satis creditur saluti fuisse urbi et imperio. Postero die, ubi primùm illuxit, ad spolia legenda Pœni insistunt. Jacebant tot Romanorum millia ut missi fuerint Carthaginem tres modii annulorum, qui ex digitis equitum et senatorum detracti fuerant. Dein Annibal in Campaniam divertit, cujus deliciis et ipse et exercitûs ardor elanguit.

Nunquam tantùm pavoris Romæ fuit quantùm ubi acceptæ cladis

nuncius advenit. Neque tamen ulla pacis mentio facta est; imò Varroni, calamitatis auctori, obviàm itum est, et gratiæ ab omnibus ordinibus actæ, quòd de republicâ non desperasset: qui, si Carthaginiensium dux fuisset, temeritatis pœnas omni supplicio dedisset. Dum Annibal Capuæ segniter et otiosè ageret, Romani interim respirare cœperunt. Arma non erant: detracta sunt templis et porticibus vetera hostium spolia. Egebat ærarium: opes suas senatus libens in medium protulit, patrumque exemplum imitati sunt equites. Deerant milites: nomina dederunt quidam adhuc prætextati, id est, juniores annis septemdecim, qui satis virium ad ferenda arma habere videbantur; empti sunt publicè et armati servi. Id magis placuit quàm captivos, licèt minore pretio, redimere.

Quum Annibal redimendi suî copiam captivis Romanis fecisset, decem ex ipsis Romam eâ de re missi sunt; nec pignus aliud fidei ab iis postulavit Annibal quàm ut jurarent se, si non impetrassent, in castra redituros. Eos senatus non censuit redimendos, quum id parvâ pecuniâ fieri potuisset, ut militibus Romanis insitum esset aut vincere, aut mori. Unus ex iis legatis è castris egressus, velut aliquid oblitus, paulò pòst reversus fuerat in castra, deinde comites ante noctem assecutus fuerat. Is ergo, re non impetratâ, domum abiit. Reditu enim in castra se liberatum esse jurejurando interpretabatur. Quod ubi innotuit, jussit senatus illum comprehendi, et vinctum duci ad Annibalem. Ea res Annibalis audaciam maximè fregit, quòd senatus populusque Romanus rebus afflictis tam excelso esset animo.

XXXVIII. MARCUS CLAUDIUS MARCELLUS.

Ante J. C. 214; *Anno U. C.* 539.

Claudius Marcellus prætor Annibalem vinci posse primus docuit. Quum enim ad Nolam Annibal accessisset, spe urbis per proditionem recipiendæ, Marcellus, instructâ ante urbis portam acie, cum eo conflixit, et Pœnos fudit. Pulsus Annibal exercitum ad Casilinum, parvam Campaniæ urbem, duxit. Parvum erat in eâ præsidium, et tamen penuria frumenti efficiebat ut nimium hominum esse videretur. Annibal primò cives verbis benignis ad portas aperiendas cœpit allicere; deinde, quum in fide Romanâ perstarent, moliri portas et claustra refringere parat. Tum ex urbe ingenti cum tumultu erumpunt cohortes duæ intus instructæ, stragemque Pœnorum faciunt. Pudor Annibalem ab incepto avertit: itaque, relicto circa Casilinum præsidio, ne omissa res videretur, ipse in hiberna Capuam concessit, partemque majorem hiemis exercitum in tectis habuit.

Mitescente jam hieme, Annibal Casilinum rediit, ubi obsidio continuata oppidanos ad ultimum inopiæ adduxerat. Marcellum cupientem obsessis ferre auxilium Vulturnus amnis inflatus aquis tenebat; at Gracchus, qui cum equitatu Romano Casilino assidebat, farre ex agris undique convecto complura dolia implevit, deinde nuncium ad magistratum Casilinum misit, ut exciperet dolia quæ amnis deferret. Insequenti nocte, dolia medio missa amne defluxerunt. Æqualiter inter omnes frumentum divisum. Id postero quoquè die ac tertio factum est. Re detectâ, Annibal, catenâ per medium flumen injectâ, intercepit dolia. Tum nuces à Romanis sparsæ, quæ aquâ defluente Casilinum deferebantur, et cratibus excipiebantur. Eo commeatu sociorum necessitas aliquandiu sublevata est.

Postremò ad id ventum est inopiæ ut Casilinates lora manderent detractasque scutis pelles, quas fervidâ molliebant aquâ; nec muribus aliove animali abstinuerunt. Quidam ex his avarus murem captum maluit ducentis denariis vendere quàm eo ipse vesci, leniendæ famis gratiâ. Utrique, ven itori nempe et emptori, sors merita obtigit: nam avaro fame consumpto non licuit suâ pecuniâ frui; emptor verò cibo comparato vixit. Tandem omne herbarum radicumque genus infimis aggeribus muri eruerunt; et, quum hostes locum exarassent, Casilinates raporum semen injecerunt. Miratus Annibal exclamavit: « Eòne, usque dum ea nascantur, ad Casilinum sessurus sum? » Et qui nullam antea pactionem auribus admiserat, tum demum æquas deditionis conditiones non repudiavit.

Postea, quum Sicilia à Romanis ad Pœnos defecisset, Marcellus, consul creatus, Syracusas, urbem Siciliæ nobilissimam, oppugnavit. Diuturna fuit obsidio; nec eam, nisi post tres annos, cepit Marcellus. Rem confecisset celeriùs, nisi unus homo eâ tempestate Syracusis fuisset. Is erat Archimedes, mirabilis inventor machinarum, quibus omnia Romanorum opera brevì disturbabat. Captis Syracusis, Marcellus eximiâ hominis prudentiâ delectatus, ut capi.i illius parceretur edixit. Archimedes, dum in pulvere quasdam formas describeret attentiùs, patriam suam captam esse non senserat. Miles prædandi causâ in domum ejus irrupit, et minantis voce quisnam esset eum interrogavit. Archimedes, propter cupiditatem illud investigandi quod requirebat, non respondit. Quapropter à milite obtruncatus est. Ejus mortem ægrè tulit Marcellus, sepulturæque curam habuit.

Marcellus, receptâ Siciliâ, quum ad urbem venisset, postulavit ut sibi triumphanti Romam inire liceret. Id non impetravit; sed tantùm ut ovans ingrederetur. Pridie injussu senatûs in monte Albano triumphavit; inde ovans multam præ se prædam in urbem intulit. Cum simulacro captarum Syracusarum perlata sunt multa urbis ornamenta,

nobiliaque signa quibus abundabant Syracusæ. Quæ omnia ad ædem Honoris atque Virtutis contulit: nihil in suis ædibus, nihil in hortis posuit. Insequenti anno, iterum adversùs Annibalem missus est. Tumulus erat inter Punica et Romana castra, quem occupare Marcellus cupiebat; at priùs locum ipse explorare voluit. Eò cum paucis equitibus proficiscitur; sed in insidias delapsus est, et lanceâ transfixus concubuit. Annibal inventum Marcelli corpus magnificè sepeliri jussit.

XXXIX. CLAUDIUS NERO ET MARCUS LIVIUS SALINATOR.

Ante J. C. 208; *Anno U. C.* 545.

Asdrubal, frater Annibalis, ex Hispaniâ profectus cum ingentibus copiis, in Italiam trajicere parabat. Actum erat de imperio Romano, si jungere se Annibali potuisset. Itaque Româ profecti sunt duo consules Claudius Nero et Livius Salinator: hic in Galliam Cisalpinam, ut Asdrubali ab Alpibus descendenti occurreret; ille verò in Apuliam, ut Annibali se opponeret. Fuerant Livio cum Nerone veteres inimicitiæ; tamen ubi ei collega datus est, injuriæ, quam gravissimam acceperat, oblitus est, et amicitiam cum eo junxit, ne propter privatam discordiam respublica malè administraretur. Eâ gratiæ reconciliatione lætus senatus, digredientes in provincias consules prosecutus est. Ii porrò id in mente habebant, ut uterque in suâ provinciâ hostem contineret, neque conjungi aut conferre in unum vires pateretur.

Inter hæc Asdrubal Italiam ingressus, quatuor equites cum litteris ad Annibalem misit: qui capti ad Neronem sunt perducti. Consul, cognito Asdrubalis consilio, audendum aliquid improvisum ratus, cum delectis copiis profectus est nocte, et inscio Annibale, penè totam Italiam emensus, sex dierum spatio ad castra Livii pervenit; amboque, collatis signis, Asdrubalem apud Senam vicerunt. Cæsa sunt eo prælio quinquaginta sex hostium millia. Ipse Asdrubal, ne tantæ cladi superesset, concitato equo, se in cohortem Romanam immisit, ibique pugnans cecidit. Nero, eâ nocte quæ pugnam secuta est, pari celeritate quâ venerat, in castra sua rediit, antequam Annibal eum discessisse sentiret. Caput Asdrubalis, quod servatum cum curâ attulerat, projici ante hostium stationes jussit. Annibal, viso fratris occisi capite, dixisse fertur: «Agnosco fortunam Carthaginis!»

XL. PUBLIUS CORNELIUS SCIPIO AFRICANUS.

Ante J. C. 207; *Anno U. C.* 546.

Publius Cornelius Scipio nondum annos pueritiæ egressus, patrem singulari virtute servavit: nam quum is in pugnâ apud Ticinum contra

Annibalem commissâ graviter vulneratus esset, et in hostium manus jamjam venturus esset, filius, interjecto corpore, Pœnis irruentibus se opposuit, et patrem periculo liberavit. Quæ pietas Scipioni postea ædilitatem petenti favorem populi conciliavit. Quum obsisterent tribuni plebis, negantes rationem ejus esse habendam, quòd nondum ad petendum legitima ætas esset: «Si me, inquit Scipio, omnes Quirites ædilem facere volunt, satis annorum habeo.» Tanto inde favore ad suffragia itum est, ut tribuni incepto desiterint.

Post cladem Cannensem, Romani exercitûs reliquiæ Canusium perfugerant; quumque ibi tribuni militum quatuor essent, tamen omnium consensu ad Publium Scipionem, adolescentem adolescentem, summa imperii delata est. Tunc Scipioni nunciatum est nobiles quosdam juvenes de Italia deserendâ conspirare. Statim in hospitium Metelli, qui conspirationis erat princeps, se contulit Scipio; quumque concilium ibi juvenum de quibus allatum erat invenisset, stricto super capita consultantium gladio: «Jurate, inquit, vos neque rempublicam populi Romani desertures, neque alium civem Romanum deserere passuros: qui non juraverit, in se hunc gladium strictum esse sciat.» Paud secus pavidi quàm si victorem Annibalem cernerent, jurant omnes, custodiendosque semetipsos Scipioni tradunt.

Quum Romani duas clades in Hispaniâ accepissent, duoque ibi summi imperatores cecidissent, placuit exercitum augeri, eòque proconsulem mitti; nec tamen quem mitterent satis constabat. Eâ de re indicta sunt comitia. Primò populus exspectabat, ut qui se tanto dignos imperio crederent, nomina profiterentur; sed nemo audiebat illud imperium suscipere. Mœsta itaque civitas erat, et propè consilii inops. Subitò Cornelius Scipio, quatuor et viginti ferme annos natus, professus est se petere, et in superiore, unde conspici posset, loco constitit, in quem omnium ora conversa sunt. Deinde ad unum omnes Scipionem in Hispaniâ proconsulem esse jusserunt. At, postquam animorum impetus resedit, populum Romanum cœpit facti pœnitere: ætati Scipionis maximè diffidebant. Quod ubi animadvertit Scipio, advocatâ concione, ita magno elatoque animo disseruit, de bello quod gerendum erat ut hominnes curâ liberaverit, speque certâ impleverit.

Profectus igitur in Hispaniam, Scipio Carthaginem novam, quâ die venit, expugnavit. Eò congestæ erant omnes penè Africæ et Hispaniæ opes; quibus potitus est. Inter captivos ad eum adducta est eximiæ formæ adulta virgo. Postquam comperit eam illustri loco inter Celtiberos natam, principique ejus gentis adolescenti desponsam fuisse, arcessitis parentibus et sponso eam reddidit. Parentes virginis, qui ad eam redimendam satis magnum auri pondus attulerant, Scipionem orabant ut id ab se donum reciperet. Scipio aurum poni ante pedes jussit, vo-

catoque ad se virginis sponso: «Super dotem, inquit, quam acceptu-rus à socero es, hæc tibi à me dotalia dona accedent;» aurumque tollere ac sibi habere jussit. Ille, domum reversus, ad referendam Scipioni gratiam, Celtiberos Romanis conciliavit.

Deinde Scipio Asdrubalem victum ex Hispaniâ expulit. Castris hostium potitus, omnem prædam militibus concessit; captivos Hispanos sinè pretio domum dimisit; Afros verò vendi jussit. Erat inter eos puer adultus, regii generis, formâ insigni: quem percontatus est Scipio quis et cujas esset, et cur id ætatis in castris fuisset. Respondit puer: « Numida sum; Massivam populares vocant: orbus à patre relictus, apud avum maternum, Numidiæ regem, educatus sum. Cum avunculo Masinissâ, qui nuper subsidio Carthaginiensibus venit, in Hispaniam trajeci; prohibitus propter ætatem à Masinissâ, nunquam antè prælium inii. Eo die quo pugnatum est cum Romanis, inscio avunculo, clam armis è quoque sumpto in aciem exivi: ibi prolapso equo, captus sum à Romanis.» Scipio eum interrogavit velletne ad avunculum reverti? Id verò cupere se dixi puer, effusis gaudio lacrymis. Tum Scipio eum annulo aureo et equo ornato donavit, datisque qui tutò deducerent equitibus dimisit.

Quum Publius Cornelius Scipio se erga Hispanos clementer gessisset, circumfusa multitudo eum regem ingenti consensu appellavit; at Scipio, silentio per præconem facto, dixit: « Nomen imperatoris, quo me mei milites appellârunt, mihi maximum est; regium nomen, alibi magnum, Romæ intolerabile est. Si id amplissimum judicatis quod regale est, vobis licet existimare regalem in me esse animum; sed oro vos ut à regis appellatione abs'ineatis.» Sensere etiam barbari magnitudinem animi quâ Scipio id aspernabatur quod cæteri mortales admirantur et concupiscunt.

Scipio, receptâ Hispaniâ, quum jam bellum in ipsam Africam transferre meditaretur, conciliandos priùs regum et gentium animos existimavit. Syphacem Maurorum regem, primùm tentare statuit. Eum regem totius Africæ opulentissimum magno usui sibi fore sperabat. Itaque legatum cum donis ad eum misit. Syphax amicitiam Romanorum se accipere annuit, sed fidem nec dare nec accipere, nisi cum ipso coram duce Romano, voluit. Scipio igitur in Africam trajecit. Fortè incidit ut eo ipso tempore Asdrubal ad eumdem portum appelleret, Syphacis amicitiam pariter petiturus. Uterque à rege in hospitium invitatus. Cœnatum simul apud regem est, et eodem lecto Scipio atque Asdrubal accubuerunt. Tanta autem inerat comitas Scipioni ut non Syphacem modò, sed etiam hostem infensissimum Asdrubalem si i conciliaverit. Scipio, fœdere icto cum Syphace, in Hispaniam ad exercitum rediit.

Masinissa quoquè amicitiam cum Scipione jungere jamdudum cupiebat. Quare ad eum tres Numidarum principes misit, ad tempus lo-

cumque colloquio statuendum. Duos pro obsidibus retineri à Scipione voluit, remisso tertio, qui Massinissam in locum constitutum adduceret. Scipio et Masinissa cum paucis in colloquium venerunt. Ceperat jam antè Masinissam ex famâ rerum gestarum admiratio viri, sed major præsentis veneratio cepit: erat enim in vultu multa majestas; accedebat promissa cæsaries, habitusque corporis, non cultus munditiis, sed virilis verè ac militaris, et florens juventa. Propè attonitus ipso congressu, Numida gratias de filio fratris remisso agit: affirmat se ex eo tempore eam quæsivisse occasionem, quam tandem oblatam non omiserit; cupere se illi et populo Romano operam navare. Lætus eum Scipio audivit, atque in societatem recepit.

Scipio deinde Romam rediit, et ante annos consul factus est. Ei Sicilia provincia decreta est, permissumque est ut in Africam inde trajiceret. Qui, quum vellet ex fortissimis peditibus Romanis trecentorum equitum numerum complere, nec posset illos statim armis et equis instruere, id prudenti consilio perfecit. Trecentos juvenes ex omni Siciliâ nobilissimos et dittissimus legit, velut eos ad oppugnandam Carthaginem secum ducturus, eosque jussit quàm celerrimè arma et equos expedire. Edicto imperatoris paruerunt juvenes, sed longinquum et grave bellum reformidabant. Tunc Scipio remisit illis istam expeditionem si arma et equos militibus Romanis vellent tradere. Læti conditionem acceperunt juvenes Siculi. Ita Scipio sinè publicâ impensâ suos instruxit ornavitque equites.

Tunc Scipio ex Siciliâ in Africam vento secundo profectus est. Tantus erat militum ardor ut non ad bellum duci viderentur, sed ad certa victoriæ præmia. Celeriter naves è conspectu Siciliæ ablatæ sunt, conspectaque brevì Africæ litora. Expositis copiis, Scipio in proximis tumulis castra metatus est. Ibi speculatores hostium in castris deprehensos et ad se perductos nec supplicio affecit, nec de consiliis ac viribus Pœnorum percontatus est, sed circa omnes Romani exercitûs manipulos curavit deducendos; dein interrogavit an ea satìs considerassent quæ jussi erant speculari; tum, prandio dato, eos incolumes dimisit. Quâ suî fiducias priùs animos hostium quàm arma contudit.

Scipioni in Africam advenienti Masinissa se conjunxit cum parvâ equitum turmâ. Syphax verò à Romanis ad Pœnos defecerat. Asdrubal, Pœnorum dux, Syphaxque se Scipioni opposuerunt; at Scipio utriusque castra unâ nocte perrupit et incendit. Syphax ipse captus est, et vivus ad Scipionem pertractus. Quem quum in castra Romana adduci nunciatum esset, omnis, velut ad spectaculum triumphi, multitudo effusa est: præcedebat is vinctus; sequebatur nobilium Numidarum turba. Movebat omnes fortuna viri, cujus amicitiam olim Scipio petierat. Regem aliosque captivos Romam missit Scipio; Masinissam, qui egregie rem Romanam adjuverat, aureâ coronâ donavit.

Hæc clades Carthaginiensibus tantùm terroris intulit ut Annibalem ex Italiâ ad tuendam patriam revocaverint; qui, frendens gemensque ac vix lacrymis temperans, mandatis paruit. Respexit sæpe Italiæ litora, semet accusans quòd non exercitum victorem statim à pugnâ Cannensi Romam duxisset. Jam Zamam venerat Annibal (quæ urbs quinque dierum iter à Carthagine abest), unde nuncium ad Scipionem misit, ut colloquendi secum potestatem faceret. Colloquium haud abnuit Scipio. Dies locusque constituitur. Itaque congressi sunt duo clarissimi suæ ætatis duces. Steterunt aliquandiu mutuâ admiratione defixi. Quum verò de conditionibus pacis inter illos non convenissent ad suos se receperunt, renuntiantes armis rem esse dirimendam. Prælium commissum est, victusque Annibal cum quatuor tantùm equitibus fugit.

Carthaginienses, metu perculsi, ad petendam pacem oratores mittunt triginta seniorum principes: qui, ubi in castra Romana venerunt, more adulantium procubuere. Conveniens oratio tam humili adulationi fuit. Veniam civitati petebant non culpam purgantes, sed initium culpæ in Annibalem transferentes. Victis leges imposuit Scipio. Legati, quum nullas conditiones recusarent, Romam profecti sunt, ut, quæ à Scipione pacta essent, ea patrum ac populi auctoritate confirmarentur. Ita pace terrâ marique partâ, Scipio, exercitu in naves imposito, Romam reversus est. Ad quem advenientem concursus ingens factus est: effusa non ex urbibus modò, sed etiam ex agris turba vias obsidebat. Scipio inter gratulantium plausus triumpho omnium clarissimo urbem est invectus, primusque nomine victæ à se gentis est nobilitatus, *Africanus*que appellatus.

Annibal à Scipione victus, suisque invisus, ad Antiochum, Syriæ regem, confugit, eumque hostem Romanis fecit. Missi sunt Româ legati ad Antiochum, in quibus erat Scipio Africanus; qui, cum Annibale collocutus, ab eo quæsivit quem fuisse maximum imperatorem crederet. Respondit Annibal Alexandrum, Macedonum regem, maximum sibi videri, quòd parvâ manu innumerabiles exercitus fudisset. Interroganti deinde quem secundum poneret: « Pyrrhum, inquit, quòd primus castra metari docuit, nemoque illo elegantiùs loca cepit, et præsidia disposuit. » Sciscitanti demum quem tertium duceret, semetipsum dixit. Tum ridens Scipio: «Quidnam, inquit, igitur tu diceres, si me vicisses? —Me verò respondit Annibal et ante Alexandrum et ante Pyrrhum et ante alios omnes posuissem. » Ita improviso assentationis genere, Scipionem è grege imperatorum, velut inæstimabilem secernebat.

Decreto adversùs Antiochum bello, quum Syria provincia obvenisset Lucio Scipioni, quia parum in eo putabatur esse animi, parum roboris, senatus belli hujus gerendi curam mandari volebat collegæ ejus Caio Lælio. Surrexit tunc Scipio Africanus, frater major Lucii Sci-

pionis, et illam familiæ ignominiam deprecatus est: dixit in fratre suo summam esse virtutem, summum consilium, seque ei legatum fore promisit. Quod quum ab eo esset dictum nihil est de Lucii Scipionis, provinciâ commutatum: itaque frater natu major, minori legatus, in Asiam profectus est, et tandiu eum consilio operâque adjuvit donec ei triumphum et cognomen Asiatici peperisset.

Eodem bello, filius Scipionis Africani captus fuit, et ad Antiochum deductus. Benignè et comiter adolescentem rex habuit, quàmvis ab ejus patre tunc finibus imperii pelleretur. Quum deinde pacem Antiochus à Romanis peteret, legatus ejus Publium Scipionem adiit; eique filium sinè pretio redditurum regem dixit, si per eum pacem impetrasset. Cui Scipio respondit: « Abi, nuncia regi me pro tanto munere gratias agere; sed nunc aliam gratiam non possum referre quàm ut ei suadeam bello absistere nullamque pacis conditionem recusare. » Pax non convenit: Antiochus tamen Scipioni filium remisit, tantique viri majestatem venerari quàm dolorem ulcisci maluit.

Victo Antiocho, quum prædæ Asiaticæ ratio à duobus Scipionibus reposceretur, Africanus prolatum à fratre discerpsit librum, quo acceptæ et expensæ summæ continebantur, indignatus scilicet eâ de re dubitari quæ sub ipso legato administrata fuisset, et ad eum modum verba fecit: « Non est quod quæratis, patres conscripti, an parvam pecuniam in ærarium retulerim, qui antea illud Punico auro repleverim, neque mea innocentia potest in dubium vocari. Quum Africam totam potestati vestræ subjecerim, nihil ex eâ præter cognomem retuli. Non igitur me Punicæ, non fratrem meum Asiaticæ gazæ avarum reddiderunt; sed uterque nostrûm magis invidiâ quàm pecuniâ est onustus. » Tam constantem defensionem Scipionis universus senatus comprobavit.

Deinde Scipioni Africano duo tribuni plebis diem dixerunt, quasi prædâ ex Antiocho captâ ærarium fraudasset. Ubi causæ dicendæ dies venit, Scipio magnâ hominum frequentiâ in forum est deductus. Jussus causam dicere, sinè ullâ criminis mentione, magnificam orationem de rebus à se gestis habuit. « Hac die, inquit, Carthaginem vici: eamus in Capitolium et Diis supplicemus. » E foro statim in Capitolium ascendit; simul se universa concio ab accusatoribus avertit, et secuta Scipionem est, nec quisquam præter præconem, qui reum citabat, cum tribunis mansit. Celebratior is dies favore hominum fuit quàm quo, triumphans de Syphace rege et Carthaginiensibus, urbem est ingresus. Inde, ne ampliùs tribunitiis injuriis vexaretur, in Literninam villam concessit, ubi reliquam egit ætatem sinè urbis desiderio.

Quum Scipio Africanus Liternii degeret, complures prædonum duces ad eum videndum fortè confluxerunt. Scipio eos ad vim faciendam

venire ratus, præsidium servorum in tecto collocavit, aliaque parabat quæ ad eos repellendos opus erant. Quod ubi prædones animadverterunt, abjectis armis, januæ appropinquant, nunciantque se non vitæ ejus hostes, sed virtutis admiratores venisse, conspectum tanti viri expetentes; proinde ne gravaretur se spectandum præbere. Id postquam audivit Scipio, fores reserari eosque introduci jussit. Illi postes januæ tanquam religiosissimam aram venerati, cupidè Scipionis dexteram apprehenderunt, ac diù deosculati sunt; deinde, positis ante vestibulum donis, læti quòd Scipionem videre contigisset, domum reverterunt. Paulò pòst mortuus est Scipio, moriensque ab uxore petiit ne corpus suum Romam referretur.

XLI. LUCIUS SCIPIO ASIATICUS.

Ante J. C. 192; *Anno U. C.* 561.

Lucius Scipio, frater Africani, infirmo erat corpore: tamen consul, legato fratre, contra Antiochum missus est. Quum in Asiam advenisset, ad duo ferme millia ab hoste castra posuit. Antiochus cœpit aciem instruere, nec Scipio detrectavit certamen. Quum autem duæ acies in conspectu essent, coorta nebula caliginem dedit; quæ nihil admodum Romanis, eadem plurimùm regiis nocuit: nam humor gladios aut pila Romanorum non hebetabat; arcus verò, quibus Antiochi milites utebantur, fundasque et jaculorum amenta emollierat. Itaque fusus est regis exercitus fugatusque: ipse Antiochus cum paucis fugiens, in Lydiam concessit. Tum Asiæ urbes victori se dediderunt. Lucius Scipio, Romam reversus, ingenti gloriâ triumphavit, et *Asiatici* cognomen accepit.

Postea Lucius Scipio simul cum fratre accusatus est acceptæ ab Antiocho pecuniæ, et quàmvis contenderet omnem prædam in ærarium fuisse illatam, damnatus tamen est, et in carcerem duci cœptus. Tunc Tiberius Gracchus, licèt Scipionis inimicus, dixit sibi quidem esse cum Scipione simultatem, ne se quidquam gratiæ quærendæ causâ facere; sed non passurum Lucium Scipionem in carcere atque in vinculis esse, jussitque eum dimitti. Gratiæ ingentes à senatu actæ sunt Tiberio Graccho, quòd rempublicam privatis simultatibus potiorem habuisset. Missi deinde quæstores in domum Scipionis, nullum pecuniæ regiæ vestigium repererunt. Lucio Scipioni collata est ab amicis propinquisque ea pecunia quâ mulctatus fuerat; eam verò Scipio noluit accipere.

XLII. PUBLIUS SCIPIO NASICA.

Ante J. C. 191; *Anno U. C.* 562.

Publius Scipio Nasica, patrui Scipionis Africani filius, quum adoles-

cens ædilitatem peteret, manumque cujusdam civis Romani, rustico opere duratam, more candidatorum apprehendisset, jocans interrogavit eum num manibus solitus esset ambulare: quod dictum, à circumstantibus exceptum, ad populum manavit, causamque repulsæ Scipioni attulit. Namque omnes rusticæ tribus, paupertatem sibi ab eo exprobratam judicantes, iram suam adversùs contumeliosum ejus dicterium exercuerunt. Quæ repulsa nobilis adolescentis ingenium ab insolentiâ revocavit, eumque magnum et utilem civem fecit.

Quum Annibal Italiam devastaret, responsum oraculo editum esse ferunt: hostem Italiâ pelli vincique posse, si mater Idæa à Pessinunte Romam advecta foret, et hospitio apud civem optimum reciperetur. Legati eâ de re ad Attalum, Pergami regem, missi sunt. Is legatos comiter acceptos Pessinuntem deduxit. Quærendus deinde fuit vir qui eam rite hospitio exciperet. Publium Scipionem Nasicam senatus judicavit virum esse in totâ civitate optimum. Idem consul, imperatoris, nomen à militibus, et triumphum à senatu oblatum recusavit, dixitque satìs gloriæ sibi in omnem vitam eo die quæsitum esse quo vir optimus à senatu judicatus fuerat: hoc titulo, etsi nec consulatus, nec triumphus addatur, satìs honoratam Publii Scipionis Nasicæ imaginem fore.

Scipio Nasica censor factus, gravem se ac severum præbuit. Quum equitum censum ageret, equitem quemdam vidit obeso et pingui corpore, equum verò ejus strigosum et macilentum. «Quidnam causæ est, inquit censor, cur sis tu quàm equus pinguior?—Quoniam, respondit eques, ego me ipse curo, equum verò servus.» Minùs verecundum visum est responsum: itaque graviter objurgatus eques, et mulctâ damnatus. Idem Scipio Nasica cum Ennio poetâ vivebat conjunctissimè. Quum ad eum venisset, eique ab ostio quærenti ancilla dixisset Ennium domi non esse, Nasica sensit illam domini jussu dixisse, et illum intus esse. Paucis pòst diebus, quum ad Nasicam venisset Ennius, et eum à januâ quæreret, exclamavit ipse Nasica se domi non esse. Tum Ennius: «Quid? ego non cognosco, inquit, vocem tuam?» Ilic Nasica: «Homo es impudens: ego quum te quærerem, ancillæ tuæ credidi te domi non esse; tu non mihi credis ipsi!»

XLIII. MARCUS PORCIUS CATO.

Ante J. C. 557; *Anno U. C.* 195.

Marcus Porcius Cato, ortus municipio Tusculo, adolescentulus, priusquam honoribus operam daret, rure in prædiis paternis versatus est, deinde Romam demigravit, et in foro esse cœpit. Primum stipendium

meruit annorum decem septemque, Quinto Fabio consule, cui postea semper adhæsit. Inde castra secutus est Claudii Neronis, ejusque opera magni æstimata est in prælio apud Senam, quo cecidit Asdrubal, frater Annibalis. Ab adolescentiâ, frugalitatem temperantiamque coluit. Pellibus hædinis pro stragulâ veste utebatur; eodem cibo quo milites vescebatur; aquam in bellicis expeditionibus potabat; si nimio æstu torqueretur, acetum; si vires deficerent, paululùm vilis vini.

Quæstor Scipioni Africano obtigit, et cum eo parum amicè vixit: nam, parcimoniæ amans, haud probabat sumptus quos Scipio faciebat. Quare, eo relicto, Romam rediit, ibique Scipionis vitam palàm et apertè reprehendit, quasi militarem disciplinam corrumperet. Dictitabat illum cum pallio et crepidis solitum ambulare in Gymnasio, palæstræ operam dare, militum licentiæ indulgere. Quod crimen non verbo, sed facto diluit Scipio. Nam quum eâ de re legati Româ Syracusas missi essent, Scipio exercitum omnem eò convenire et classem expediri jussit, tanquam dimicandum eo die terrâ marique cum Carthaginiensibus esset; postridie, legatis inspectantibus, pugnæ simulacrum exhibuit. Tum eis armamentaria, horrea, omnemque belli apparatum ostendit. Reversi Romam legati, omnia apud exercitum Scipionis præclarè se habere renuntiârunt.

Eâdem asperitate Cato matronarum luxum insectatus est. Scilicet in medio ardore belli Punici, Oppius, tribunus plebis, legem tulerat, quâ vetabantur mulieres Romanæ plus semunciâ auri habere, vestimento varii coloris uti, et juncto vehiculo in urbe vehi. Confecto autem bello et florente republicâ, matronæ pristina ornamenta sibi reddi postulabant; omnes vias urbis obsidebant, virosque ad forum descendentes orabant ut legem Oppiam abrogarent. Quibus acerrimè restitit Cato, sed frustra; nam lex fuit abrogata.

Cato creatus consul, in Hispaniam adversùs Celtiberos profectus est. Quos acri prælio vicit, et ad deditionem compulit. Eo in bello Cato cum ultimis militum parcimoniâ, vigiliis et labore certavit, nec in quemquam gravius severiusque imperium exercuit quàm in semetipsum. Quum Hispanos ad defectionem pronos videret, cavendum judicavit ne deinceps rebellare possent. Id autem effecturus sibi videbatur, si eorum muros dirueret. Sed veritus ne, si id universis civitatibus imperaret communi edicto, non obtemperarent, scripsit ad singulas separatim ut muros diruerent, epistolasque omnibus simul eodemque die reddendas curavit. Quum unaquæque sibi soli imperari putaret, universæ paruerunt. Cato, Romam reversùs, de Hispaniâ triumphavit.

Postea Cato censor factus, severè ei præfuit potestati. Nam et in complures nobiles animadvertit, et imprimis Lucium Flaminium, virum consularem, senatu movit. Cui inter alia facinora illud objecit. Quum

esset in Galliâ Flaminius, mulierem, cujus amore deperibat, ad cœnam vocavit, eique fortè inter cœnandum dixit multos capitis damnatos in vinculis esse, quos securi percussurus esset. Tum illa negavit se unquam vidisse quemquam securi ferientem, et pervelle id videre. Statim Flaminius unum ex his, qui in carcere detinebantur, adduci jussit, et ipse securi percussit. Tam perditam libidinem eò magis notandam putavit Cato, quòd cum probro privato conjungeret imperii dedecus. Quid enim crudelius quam inter pocula et dapes, ad spectaculum mulieris, humanam victimam mactare, et mensam cruore respergere?

Quum in senatu de tertio Punico bello ageretur, Cato jam senex delendam Carthaginem censuit, negavitque, eâ stante, salvam esse posse rempublicam. Quum autem id, contradicente Scipione Nasicâ, non facilè patribus persuaderet, deinceps quoties de re aliquâ sententiam dixit in senatu, addidit semper: «Hoc censeo, et Carthaginem esse delendam.» Tàndem in curiam intulit ficum præcocem, et, excussâ togâ, effudit: cujus quum pulchritudinem patres admirarentur, interrogavit eos Cato quandonam ex arbore lectam putarent? Illis ficum recentem videri afirmantibus: «Atqui, inquit tertio abhinc die scitote decerptam esse Carthagine; tam prope ab hoste absumus.» Movit ea res patrum animos, et bellum Carthaginiensibus indictum est.

Fuit Cato, ut senator egregius, ita bonus pater. Quum ei natus esset filius, nullis negotiis nisi publicis impediebatur quominus adesset matri infantem abluenti et fasciis involventi. Illa enim proprio lacte filium alebat. Ubi aliquid intelligere potuit puer, eum pater ipse in litteris instituit, licèt idoneum et eruditum domi servum haberet. Nolebat enim servum filio maledicere, vel aurem vellicare, si tardior in discendo esset; neque etiam filium tanti beneficii, hoc est doctrinæ, debitorem esse servo. Ipse itaque ejus ludi magister, ipse legum doctor, ipse lanista fuit. Conscripsit manu suâ grandibus litteris historias, ut etiam in paternâ domo ante oculos proposita haberet veterum instituta et exempla.

Quum postea Catonis filius in exercitu Pompilii tiro militaret, et Pompilio visum esset unam dimittere legionem, Catonis quoquè filium dimisit; sed quum is amore pugnandi in exercitu remansisset, Cato pater ad Pompilium scripsit ut si filium pateretur in exercitu remanere, secundo eum obligaret militiæ sacramento, quia, priore amisso, cum hostibus jure pugnare non poterat. Exstat quoquè Catonis patris ad filium epistola, in quâ scribit se audivisse eum missum factum esse à Pompilio imperatore, monetque eum ut caveat ne prælium ineat. Negat enim jus esse, qui miles non sit, eum pugnare cum hoste.

Agriculturâ plurimùm delectabatur Cato, malebatque agrorum et pecorum fructu quàm fœnore ditescere. Quum ab eo quæreretur quid maximè in re familiari expediret, respondit, «Bene pascere.—Quid se-

cundum?—Satis bene pascere.—Quid tertium?—Malè pascere.—Quid quartum?—Arare.» Et quum ille qui quæsierat dixisset, «Quid fœnerari?» tum Cato: «Quid, inquit, hominem occidere?» Scripsit ipse villas suas ne tectorio quidem fuisse perlitas, atque postea addidit:» «Neque mihi ædificatio, neque vas, neque vestimentum ullum est pretiosum; si quid est quo uti possim, utor; si non est, facilè careo. Suo quemque uti et frui per me licet. Mihi vitio quidam vertunt quòd multis egeo: at ego illis vitio tribuo quòd nequeunt egere.»

Injuriarum patientissimus fuit Cato. Quum ei causam agenti protervus quidam, pingui salivâ quantùm poterat attractâ, in frontem mediam inspuisset, tulit hoc leniter: «Et ego, inquit, ò homo, affirmabo falli eos qui te negant os habere.» Ab alio homine improbo contumeliis proscissus: «Iniqua, inquit, tecum mihi est pugna: tu enim probra facilè audis, et dicis libenter; mihi verò et dicere ingratum, et audire insolitum.» Dicere solebat acerbos inimicos meliùs de quibusdam mereri quàm eos amicos qui dulces videantur: illos enim sæpe verum dicere, hos nunquam.

Cato ab adolescentiâ usque ad extremam ætatem inimicitias, reipublicæ causâ, suscipere non destitit: ipse à multis accusatus, non modò nullum existimationis detrimentum fecit, sed, quoad vixit, virtutum laude crevit. Quartum et octogesimum annum agens, ab inimicis capitali crimine accusatus, suam ipse causam peroravit, nec quisquam aut memoriam ejus tardiorem, aut lateris firmitatem imminutam, aut os hæsitatione impeditum animadvertit. Non illum enervavit nec afflixit senectus: eâ ætate aderat amicis, veniebat in senatum frequens. Græcas etiam litteras senex didicit. Quando obreperet senectus, vix intellexit. Sensim sinè sensu ætas ingravescebat; nec subitò fracta est, sed diuturnitate quasi exstincta. Annos quinque et octoginta natus excessit è vitâ.

XLIV. TITUS QUINCTIUS FLAMINIUS.

Ante J. C. 194; *Anno U. C.* 559.

Titus Quinctius Flaminius, filius ejus qui apud Trasimenum periit, consul missus est adversùs Philippum, Macedonum regem, qui Annibalem pecuniâ et copiis juverat, Atheniensesque populi Romani socios armis lacessiverat. Contraxerant autem bellum cum Philippo Athenienses haudquaquam dignâ causâ. Duo juvenes Acarnanes non initiati, templum Cereris cum cæterâ turbâ ingressi sunt. Facilè eos sermo prodidit. Perducti ad antistites templi, etsi manifestum erat eos per errorem ingressos, tanquam ob infandum scelus interfecti sunt. Acarnanes, suorum nece commoti, ad vindicandos illos auxilium à Philippo petie-

runt: qui terram Atticam igne ferroque vastavit, urbes complures cepit, Athenas ipsas oppugnavit.

Quinctius, exercitu conscripto, maturiùs quàm soliti erant priores consules profectus, in Græciam magnis itineribus contendit. Tunc caduceator à rege venit, locum ac tempus colloquendi postulans. Flaminius victoriæ quàm pacis avidior, tamen ad constitutum tempus venit in colloquium, postulavitque ut Philippus omni Græciâ decederet. Accensus indignatione rex exclamavit: «Quid victo imperares gravius, Tite Quincti?» Et quum quidam ex circumstantibus, oculis æger, adjecisset, aut bello vincendum, aut melioribus parendum esse: «Apparet id quidem, inquit Philippus, etiam cæco,» jocans in ejus valetudinem oculorum. Erat quippe Philippus dicacior naturâ quàm regem decet, et ne inter seria quidem satis risu temperans. Dein, re infectâ, se ex colloquio proripuit. Eum Flaminius bis prælio fudit, castrisque exuit.

Quinctius Flaminius Græciæ veterem statum reddidit, ut legibus suis viveret, et antiquâ libertate frueretur. Aderat ludorum Isthmiorum tempus, ad quod spectaculum Græcia universa convenerat. Tum præco in mediam arenam processit, tubâque silentio facto, hæc verba pronunciavit: «Senatus, populusque Romanus et Titus Quintius Flaminius imperator, Philippo rege et Macedonibus devictis, omnes Græciæ civitates liberas esse jubet.» Auditâ voce præconis, majus gaudium fuit quàm quantum homines possent capere: vix satis credebat se quisque audivisse; alii alios intuebantur mirabundi. Revocatus præco, quum unusquisque non audire tantùm, sed videre etiam libertatis suæ nuncium averet, iterum pronunciavit eadem. Tum tantus clamor ortus est ut certò constet aves, quæ supervolabant, attonitas paventesque decidisse.

Quinctio Flaminio triumphus à senatu decretus est. Postea quum Prusias, Bithyniæ rex, legatos Romam misisset, casu accidit ut legati apud Flaminium cœnarent, atque ibi de Annibale mentione factâ, ex his unus diceret eum in Prusiæ regno esse. Id postero die Flaminius senatui detulit. Patres, qui, vivo Annibale, nunquam metu vacui erant, legatos in Bithyniam misserunt, in his Flaminium, qui Annibalem sibi dedi poscerent. A primo colloquio Flaminii, ad domum Annibalis custodiendam milites à rege missi sunt. Annibal septem exitus è domo fecerat, ut semper aliquod iter fugæ præparatum haberet. Postquam nunciatum est ei milites regios in vestibulo esse, conatus est postico occulto fugere: ubi verò id quoquè obseptum sensit, et omnia clausa esse, hausto, quod sub annuli gemmâ habebat, veneno, absumptus est.

XLV. LUCIUS PAULUS ÆMILIUS MACEDONICUS.

Ante J. C. 171; *Anno U. C.* 582.

Paulus Æmilius ejus qui ad Cannas cecidit filius erat. Consul sortitus est Macedoniam provinciam, in quâ Perseus, Philippi filius, paterni in Romanos odii hæres, bellum renovaverat. Quum adversùs Perseum profecturus esset, et domum suam ad vesperum rediret, filiolam suam Tertiam, quæ tunc erat admodum parva, osculans animadvertit tristiculam: «Quid est, inquit, mea Tertia, quid tristis es?—Mi pater, inquit illa, Perse periit.» (Erat autem mortua catella eo nomine.) Tum ille arctiùs puellam complexus: «Accipio omen, inquit, mea filia.» Ita ex fortuito dicto quasi spem certam clarissimi triumphi animo præsumpsit. Ingressus deinde Macedoniam, rectà ad hostem perrexit.

Quum duæ acies in conspectu essent, Sulpicius Gallus, tribunus militum, Romanum exercitum magno metu liberavit. Is enim, quum lunæ defectionem nocte sequenti futuram præsciret, ad concionem vocatis militibus dixit: «Nocte proximâ, ne quis id portento accipiat, ab horâ secundâ usque ad quartam luna defectura est. Id, quia naturali ordine et statis fit temporibus, et sciri antè et prædici potest. Itaque, quemadmodum nemo miratur lunam nunc pleno orbe, nunc senescentem exiguo cornu fulgere, sic mirum non est eam obscurari, quando umbrâ terræ conditur.» Quapropter Romanos non movit illa defectio; Macedones verò eadem, ut triste prodigium, terruit.

Paulus Æmilius cum Perseo acerrimè dimicavit, tertio nonas septembris. Macedonum exercitus cæsus fugatusque est; rex ipse cum paucis fugit. Fugientes persecutus est Æmilius usque ad initium noctis: tum se in castra victor recepit. Reversum gravis cura angebat quòd filium in castris non invenisset. Is erat Publius Scipio, postea *Africanus*, delectâ Carthagine, appellatus, qui, decimum septimum tunc annum agens, dum acriùs sequitur hostes, in partem aliam turbâ abreptus fuerat. Mediâ tandem nocte in castra rediit. Tunc, recepto sospite filio, pater tantæ victoriæ gaudium sensit. Victus Perseus in templum confugerat, ibique in angulo obscuro delitescebat: deprehensus, et cum filio natu maximo ad consulem perductus est.

Perseus pullâ veste amictus castra ingressus est. Non aliàs ad ullum spectaculum tanta multitudo occurrit. Rex captivus progredi præ turbâ non poterat, donec consul lictores misit, qui, submovendo circumfusos, iter ad prætorium facerent. Paulus Æmilius, ubi audivit Perseum adesse, consurrexit, progressusque paulùm, introeunti regi manum porrexit; ad genua procumbentem erexit; introductum in tabernaculum

suo lateri assidere jussit. Deinde eum interrogavit quâ inductus injuriâ, bellum contra populum Romanum tam infesto animo suscepisset? Rex, nullo dato responso, terram intuens, diù flevit. Tum consul: «Bonum, inquit, animum habe: populi clementia non modò spem tibi, sed propè certam fiduciam salutis præbet.»

Postquam Perseum consolatus est Paulus Æmilius, sermonem ad circumstantes Romanos convertit: «Videtis, inquit, exemplum insigne mutationis rerum humanarum. Vobis hæc præcipuè dico, juvenes. Ideo neminem decet in quemquam superbè agere, nec præsenti credere fortunæ.» Eo die Perseus à consule ad cœnam invitatus est, et alius omnis ei honor habitus est, qui haberi in tali fortunâ poterat. Deinde quum ad consulem multarum gentium legati gratulandi causâ venissent, Paulus Æmilius ludos magno apparatu fecit, lautumque convivium paravit: quâ in re curam et diligentiam adhibebat, dicere solitus et convivium instruère et ludos parare viri ejusdem esse qui sciret bello vincere.

Confecto bello, Paulus Æmilius regiâ nave ad urbem est subvectus. Completæ erant omnes Tiberis ripæ obviàm effusâ multitudine. Fuit ejus triumphus omnium longè magnificentissimus. Populus, exstructis per forum tabulatis in modum theatrorum, spectavit in candidis togis. Aperta templa omnia et sertis coronata, thure fumabant. In tres dies distributa est pompa spectaculi. Primus dies vix suffecit transvehendis signis tabulisque; sequenti die, translata sunt arma, galeæ, scuta, loricæ, pharetræ, argentum aurumque. Tertio die, primo statim mane, ducere agmen cœpere tibicines, non festos solemnium pomparum modos, sed bellicum sonantes, quasi in aciem procedendum foret. Deinde agebantur pingues cornibus auratis et vittis redimiti boves centum et viginti.

Sequebantur Persei liberi, comitante educatorum et magistrorum turbâ, qui manus ad spectatores cum lacrymis miserabiliter tendebant, et pueros docebant implorandam suppliciter victoris populi misericordiam. Ponè filios incedebat cum uxore Perseus, stupenti et attonito similis. Inde quadringentæ coronæ aureæ portabantur, ab omnibus ferè Græciæ civitatibus dono missæ. Postremò ipse in curru Paulus auro purpuràque fulgens eminebat, qui magnam quum dignitate aliâ corporis, tum senectâ ipsâ majestatem præ se ferebat. Post currum, inter alios ilustres viros, filii duo Æmilii; deinde equites turmatim, et cohortes peditum suis quæque ordinibus. Paulo à senatu et à plebe concessum est ut in ludis Circensibus veste triumphali uteretur, eique cognomen *Macedonici* inditum.

Tantæ huic lætitiæ gravis dolor admixtus est. Nam Paulus Æmilius, duobus filiis in adoptionem datis, duos tantùm nominis hæredes domi

retinuerat. Ex his minor, ferme duodecim annos natus, quinque diebus ante triumphum patris, major autem triduo post triumphum decessit. Erat porrò Æmilius liberorum amantissimus; erudiendos curaverat non solùm Romanâ veteri disciplinâ, sed etiam Græcis litteris. Optimos adhibuerat magistros, eorumque exercitiis omnibus ipse interfuerat, quum eum respublica aliò non vocaret. Eum tamen casum fortiter tulit, et in oratione quam de rebus à se gestis apud populum habuit: «Optavi, inquit, ut, si quid adversi immineret ad expiandam nimiam felicitatem, id in domum meam potiùs quàm in rempublicam recideret. Nemo jam ex tot liberis superest, qui Pauli Æmilii nomen ferat; sed hanc privatam calamitatem vestra felicitas et secunda fortuna publica consolatur.»

Paulus Æmilius omni Macedonum gazâ, quæ fuit maxima, potitus erat: tantam in ærarium populi Romani pecuniam invexerat ut unius imperatoris præda finem attulerit tributorum; at hic non modò nihil ex thesauris regis concupivit, sed ne ipse quidem spectare eos dignatus est. Per alios homines cuncta administravit, nec quidquam in domum suam intulit, præter memoriam nominis sempiternam. Mortuus est adeò pauper ut dos ejus uxori, nisi vendito, quem unum reliquerat, fundo, non potuerit exsolvi. Exsequiæ ejus non tam auro et ebore quàm omnium benevolentiâ et studio fuerunt insignes. Macedoniæ principes, qui tunc Romæ erant legationis nomine, humeros suos funebri lecto spontè subjecerunt. Quem enim in bello ob virtutem timuerant, eumdem in pace ob justitiam diligebant.

XLVI. CAIUS POPILIUS LÆNAS.

Ante J. C. 163; *Anno U. C.* 590.

Paulo Æmilio consule, Romam venerunt legati à Ptolomæo, rege Ægypti, qui, pulso fratre majore, Alexandriam tenebat. Nam Antiochus, rex Syriæ, per speciem reducendi in regnum majoris Ptolomæi, Ægyptum invadere conabatur. Jam navali prælio vicerat minorem Ptolomæum, et Alexandriam obsidebat; nec procul habesse videbatur quin regno opulentissimo potiretur. Legati sordidati, barbâ et capillo promisso, cum ramis oleæ ingressi curiam procubuerunt. Oratio fuit etiam miserabilior quàm habitus: orabant senatum ut opem regno Ægypti ferret. Moti patres legatorum precibus, extemplo legationem miserunt, cujus princeps Caius Popilius Lænas, ad bellum inter fratres componendum. Jussus est Popilius adire priùs Antiochum, deinde Ptolomæum, eisque denuntiare ut bello absisterent: qui secus fecisset, eum pro hoste à senatu habitum iri.

Propè Alexandriam Antiocho occurrerunt legati. Quos advenientes Antiochus amicè salutavit, et Popilio dextram porrexit; at Popilius suam regi noluit porrigere, sed tabellas, in quibus erat senatusconsultum, ei tradidit, atque statim legere jussit. Quibus perlectis, Antiochus dixit se, adhibitis amicis, consideraturum quid faciendum sibi esset. Indignatus Popilius quòd rex aliquam moram interponeret, virgâ, quam manu gerebat, regem circumscripsit; ac: «Priùs, ait, quàm hoc circulo excedas, da responsum, quod senatui referam.» Obstupefactus Antiochus, quum parumper hæsitasset: «Faciam, inquit, quod censet senatus.» Tum demum Popilius dextram regi tanquam socio et amico porrexit. Eâdem die, quum Antiochus excessisset Ægypto, legati concordiam inter fratres auctoritate suâ firmaverunt. Clara ea legatio fuit, quòd Ægyptus Antiocho adempta, redditumque regnum patrium stirpi Ptolomæi fuerat.

XLVII. PUBLIUS SCIPIO ÆMILIANUS.

Ante J. C. 148; *Anno U. C.* 605.

Publius Scipio Æmilianus, Pauli Macedonici filius, adoptione Scipionis Africani nepos, à tenerâ ætate Græcis litteris à Polybio, præstantis ingenii viro, eruditus est. Ex ejus doctrinâ tantos fructus tulit ut non modò æquales suos, sed etiam majores natu omni virtutum genere superaret. Temperantiæ et continentiæ laudem ante omnia comparare studuit; quod quidem tunc difficile erat: mirum enim est quo impetu ad libidines et epulas juvenes Romani eo tempore ferrentur. At Scipio, contrarium vitæ institutum secutus, publicam modestiæ et continentiæ famam est adeptus. Polybium semper domi militiæque secum habuit; semper inter arma ac studia versatus, aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit.

Scipio Æmilianus primùm in Hispaniâ, Lucullo duce, militavit; eoque in bello egregia fuit ejus opera. Nam rex quidam barbarus, miræ proceritatis, splendidis armis ornatus, sæpe Romanos provocabat, si quis singulari certamine secum vellet congredi. Quumque nemo contra eum exire auderet, suam Romanis ignaviam cum irrisu et ludibrio exprobrabat. Non tulit indignitatem rei Scipio, progressusque ad hostem, consertâ pugnâ, eum prostravit, pari Romanorum lætitiâ et hostium terrore, quòd ingentis corporis virum ipse exiguæ staturæ dejecisset. Scipio multò majus etiam adiit periculum in expugnatione urbis, quam tunc obsidebant Romani: nam ipse primus murum conscendit, viamque aliis militibus aperuit. Ob hæc præclarè gesta, Lucullus dux juvenem, pro concione laudatum, murali coronâ donavit.

Tertio bello Punico, quum clarum esset Scipionis nomen, juvenis adhuc factus est consul, eique Africa provincia extra sortem data est, ut, quam urbem avus ejus concusserat, eam nepos everteret. Tunc enim Romani, suadente Catone, deliberatum habebant Carthaginem diruere. Carthaginiensibus igitur imperatum est ut, si salvi esse vellent, ex urbe migrarent, sedemque alio in loco, à mari remoto, constituerent. Quod ubi Carthagine auditum est, ortus statim est ululatus ingens, clamorque: bellum esse gerendum, satiùsque esse extrema omnia pati quàm patriam relinquere. Quum verò neque naves, neque arma haberent, in usum novæ classis tecta domosque resciderunt; aurum et argentum pro ære ferroque conflatum est; viri, feminæ, pueri, senes simul operi instabant: non die, non noctu labor intermissus. Ancillas primò totonderunt, ut ex earum crinibus funes facerent; mox etiam matronæ ipsæ capillos suos ad eumdem usum contulerunt.

Scipio exercitum ad Carthaginem admovit, eamque oppugnare cœpit: quæ urbs, quanquam summâ vi defenderetur, tandem expugnata est. Rebus desperatis, quadraginta millia hominum se victori tradiderunt. Dux ipse Asdrubal, inscià uxore, ad genua Scipionis cum ramis oleæ supplex procubuit. Quum verò ejus uxor se à viro relictam vidisset, diris omnibus eum devovit; tum duobus liberis dextrâ lævâque comprehensis, à culmine domûs se in medium flagrantis urbis incendium immisit. Deletâ Carthagine, Scipio victor Romam reversus est. Splendidum egit triumphum, *Africanusque* est appellatus. Ita cognomen *Africani* Carthago capta Scipioni majori, eadem eversa Scipioni minori peperit.

Postea Scipio iterum consul creatus, contra Numantinos in Hispaniam profectus est. Ibi multiplex clades priorum ducum inscitiâ à Romanis accepta fuerat. Scipio, ubi primùm advenit, corruptum licentiâ exercitum ad pristinam disciplinam revocavit. Omnia deliciarum instrumenta è castris ejecit; qui miles extra ordinem fuisset deprehensus, eum virgis cædebat; jumenta omnia vendi jussit, ne oneribus portandis usui essent; militem quemque triginta dierum frumentum ac septenos vallos ferre coegit. Cuidam propter onus ægrè incedenti dixit: «Quum te gladio vallare scieris, tunc vallum ferre desinito.» Ita redacto in disciplinam exercitu, urbem Numantiam obsedit. Numantini, fame adacti, se ipsi trucidaverunt. Captam urbem Scipio delevit, et de eâ triumphavit.

Scipio censor fuit cum Mummio, viro nobili, sed segniore. Tribu movit quemdam qui, ordines ducens, prælio non interfuerat; quumque ille quæreret cur notaretur, qui custodiæ causâ in castris remansisset, Scipio respondit: «Non amo nimiùm diligentes.» Equum ademit adolescenti, qui in obsidione Carthaginis, vocatis ad cenam amicis, diri-

pierdam sub figurâ urbis Carthaginis placentam in mensâ posuerat; quærentique causam: «Quia, inquit Scipio, me prior Carthaginem diripuisti.» Contra Mummius, Scipionis collega, neque ipse notabat quemquam, et notatos à collegâ, quos poterat, ignominiæ eximebat. Unde Scipio, quum ei cupienti censuram ex majestate reipublicæ gerere impedimento esset Mummii sennities, in senatu ait: «Utinam mihi collegam dedissetis, aut non dedissetis!»

In Scipione Æmiliano etiam multa privatæ vitæ dicta factaque celebrantur. Caio Lælio familiariter usus est. Ferunt cum eo Scipionem sæpe rusticatum fuisse, eosque incredibiliter repuerascere solitos esse, quum rus ex urbe, tanquam è vinculis, evolavissent. Vix audeo dicere de tantis viris; sed ita narratur conchas eos ad litus maris legere consuevisse, et ad omnem animi remissionem ludumque descendere. Mortuo Paulo Æmilio, Scipio, cum fratre hæres relictus, animum verè fraternum in eum ostendit: nam universam ei hæreditatem tradidit, quòd illum videret re familiari minùs, quàm se, instructum. Pariter, defunctâ matre, omnia bona materna sororibus concessit, quanquam nulla pars hæreditatis ad eas lege pertineret.

Quum in concione interrogaretur quid sentiret de morte Tiberii Gracchi, qui populi favorem pravis largitionibus captaverat, palàm respondit eum jure cæsum videri. Quo responso exacerbata concio acclamavit; tum Scipio clamorem ortum à vili plebeculâ animadvertens: «Taceant, inquit, quibus Italia noverca est, non mater.» Quum magis etiam obstreperet populus, ille vultu constanti: «Hostium, inquit, armatorum toties clamore non territus; quî possum vestro moveri?» Tunc, constantiâ et auctoritate viri perculsa, plebs conticuit. Deinde, quasi vim sibi mox inferendam animo præsagiret, malam sibi rependi gratiam laborum pro republicâ susceptorum ab ingratis civibus questus est. Maximâ patrum frequentiâ domum deductus est.

Postridie quàm domum se validus receperat, Scipio repentè in lectulo exanimis est inventus. De tanti viri morte nulla habita est quæstio, ejusque corpus velato capite est elatum, ne livor in ore appareret. Metellus, licèt Scipionis inimicus, hanc necem adeò graviter tulit ut, eâ auditâ, in forum advolaverit, ibique mœsto vultu clamaverit: «Concurrite, cives, mœnia urbis nostræ eversa sunt: Scipioni intra suos penates quiescenti nefaria vis illata est.» Idem Metellus filios suos jussit funebri ejus lecto humeros subjicere, eisque dixit: «Nunquam à vobis id officium majori viro præstari poterit.» Scipionis patrimonium tam exiguum fuit ut triginta duas libras argenti, duas et selibras auri tantùm reliquerit.

Quum duo consules, quorum alter inops erat, alter autem avarus, in senatu contenderent uter in Hispaniam ad bellum gerendum mitteretur,

ac magna inter patres esset dissensio, rogatus sententiam Scipio Æmilianus: «Neutrum, inquit, mihi mitti placet; quia alter nihil habet, alteri nihil est satîs.» Scilicet ad rem bene gerendam judicabat pariter abesse debere et inopiam et avaritiam. Alioquin maximè verendum est ne publicum munus quæstui habeatur, et præda communis in privatum imperatoris lucrum convertatur. Longè ab hac culpâ alienus fuit Scipio: nam post duos consulatus et totidem triumphos, officio legationis fungens, septem tantùm servos secum duxit. E Carthaginis et Numantiæ spoliis comparare plures certè potuerat; sed nihilo locupletior Carthagine eversâ fuit quàm antè. Itaque, quum per populi Romani socios et exteras nationes iter faceret, non mancipia ejus, sed victoriæ numerabantur, nec quantùm auri et argenti, sed quantùm dignitatis atque gloriæ secum ferret, æstimabatur.

XLVIII. TIBERIUS GRACCHUS ET CAIUS GRACCHUS.

Ante J. C. 134; *Anno U. C.* 619.

Tiberius Gracchus et Caius Gracchus Scipionis Africani ex filiâ nepotes erant. Horum adolescentia bonis artibus et magnâ omnium spe floruit: ad egregiam quippe indolem accedebat optima educatio. Exstant Corneliæ matris epistolæ, quibus apparet eos non solùm in gremio matris educatos fuisse, sed etiam ab eâ sermonis elegantiam hausisse. Maximum matronis ornamentum esse liberos bene institutos meritò putabat sapientissima illa mulier. Quum Campana matrona, apud illam hospita, ornamenta sua, quæ erant illâ ætate pretiosissima, ostentaret ei muliebriter, Cornelia traxit eam sermone, quousque à scholâ redirent liberi. Quos reversos hospitæ exhibens: «En hæc, inquit, mea ornamenta.» Nihil quidem istis adolescentibus neque à naturâ, neque à doctrinâ defuit; sed ambo rempublicam, quam tueri potuissent, impiè perturbare maluerunt.

Tiberius Gracchus, quum esset tribunus plebis, à senatu descivit: populi favorem profusis largitionibus sibi conciliavit; agros plebi dividebat, dabat civitatem omnibus Italicis; provincias novis coloniis replebat: quibus rebus viam sibi ad regnum parare videbatur. Quare convocati patres deliberabant quidnam faciendum esset. Tiberius in Capitolium venit, manum ad caput referens; quo signo salutem suam populo commendabat: hoc nobilitas ita accepit quasi diadema posceret. Tum Scipio Nasica, quum esset consobrinus Tiberii Gracchi, patriam cognationi prætulit, sublatâque dexterâ, proclamavit: «Qui rempublicam salvam esse volunt, me sequantur»; dein, Gracchum fugientem persecutus, in eum irruit, suâque manu eum interfecit. Mortui Tiberii corpus in flumen projectum est.

Caium Gracchum idem furor, qui fratrem Tiberium, invasit: seu vindicandæ fraternæ necis, seu comparandæ regiæ potentiæ causâ, vix tribunatum adeptus est quum pessima cœpit inire consilia: maximas largitiones fecit; ærarium effudit; legem de frumento plebi dividendo tulit. Perniciosis Gracchi consiliis, quantâ poterant contentione, obsistebant, omnes boni, in quibus maximè Piso, vir consularis. Is, quum multa contra legem frumentariam dixisset, lege tamen latâ, ad frumentum cum cæteris accipiendum venit. Gracchus animadvertit in concione Pisonem stantem; eum sic compellavit, audiente populo Romano: «Quî tibi constas, Piso, quum eâ lege frumentum petas quam dissuasisti?» Cui Piso: «Nolim quidem, Gracche, inquit, mea bona tibi viritim dividere liceat; sed, si facies, partem petam.» Quo responso apertè declaravit vir gravis et sapiens lege, quam tulerat Gracchus, patrimonium publicum dissipari.

Decretum à senatu latum est, ut videret consul Opimius ne quid detrimenti respublica caperet: quod decretum, nisi in maximo discrimine, ferrit non solebat. Caius Gracchus, armatâ familiâ, Aventinum occupaverat. Quamobrem consul, vocato ad arma populo, Caium aggressus est; qui pulsus, dum à templo Dianæ desilit, talum intorsit; et, quum jam à satellitibus Opimii comprehenderetur, jugulum servo præbuit; qui dominum et mox semetipsum super domini corpus interemit. Consul promiserat se pro capite Gracchi aurum repensurum esse: quare Septimuleius quidam lanceâ præfixum Caii caput attulit, eique æquale auri pondus persolutum est. Aiunt etiam illum, priùs cervice perforatâ cerebroque exempto, plumbum infudisse, quò gravius efficeretur.

Occiso Tiberio Graccho, quum senatus consulibus mandasset ut in eos qui cum Tiberio consenserant, animadverteretur, Blosius quidam, Tiberii amicus, pro se deprecatum venit; hancque, ut sibi ignosceretur, causam agerebat, quòd tanti Gracchum fecisset ut, quidquid ille vellet, sibi faciendum putaret. Tum consul: «Quid? ait, si te in Capitolium faces ferre vellet, obsecuturusne voluntati illius fuisses propter istam quam jactas familiaritatem?—Nunquam, inquit Blosius, id quidem voluisset; sed, si voluisset, paruissem.» Nefaria est ista vox: *nulla enim est excusatio peccati, si amici causâ peccaveris.*

XLIX. LUCIUS MUMMIUS ACHAICUS.

Ante J. C. 147; *Anno U. C.* 606.

Quum Corinthii adversus Romanos rebellassent, eorumque legatis injuriam fecissent, Lucius Mummius consul, conscripto exercitu, Co-

rinthum profectus est. Corinthii, veluti nihil negotii bello Romano suscepissent, omnia neglexerant. Prædam, non prælium cogitantes, vehicula duxerant ad spolia Romanorum reportanda. Conjuges liberosque ad spectaculum certaminis in montibus posuerunt. Quam vecordiam celerrima pœna consecuta est: nam, prælio ante oculos suorum commisso cæsi, lugubre his spectaculum et gravem luctûs memoriam reliquerunt. Conjuges et liberi eorum de spectatoribus captivi facti, præda victorum fûere. Urbs ipsa Corinthus direpta primùm, deinde, tubâ precinente, diruta est; populus omnis sub coronâ venditus; dux eorum victus domum refugit eamque incendit, conjugem interfecit et in ignem præcipitavit; ipse veneno interiit.

Erat Corinthi magna vis signorum tabularumque pretiosarum, quibus Mummius urbem et totam replevit Italiam, nihil verò in domum suam intulit; sed harum rerum adeò rudis et ignarus erat Mummius ut, quum eas tabulas Romam portandas locaret, edixerit conducentibus, si eas perdidissent, novas esse reddituros. Una eximii pictoris tabella ludentibus aleâ militibus alvei vicem præstitit. Quæ tabella deinde, quum præda venderetur, ab Attalo rege sex millibus nummorum empta est. Mummius pretium admiratus, ex alieno judicio pulchritudinem tabellæ suspicatus est, atque venditionem rescidit, et tabellam jussit Romam deferrit.

L. QUINTUS METELLUS MACEDONICUS.

Ante J. C. 142; *Anno U. C.* 611.

Quintus Metellus à domitâ Macedonia dictus *Macedonicus*, missus est adversùs Pseudo-Philippum, hominem humili loco natum qui se Persei regis filium mentiebatur, eâque fraude Macedoniam occupaverat. Fabulam autem hujusmodi finxerat: prædicabat se ex Perseo rege ortum, et ab eo fidei cujusdam viri Cretensis commissum, ut in belli casus, quod tunc ille cum Romanis gerebat, aliquod veluti semen stirpis regiæ reservaretur; datum ei insuper libellum signo Persei impressum, quem puero traderet, quum ad puberem ætatem venisset. Mortuo Perseo, se Hadrumeti educatum usque ad duodecimum ætatis annum, ignarum fuisse generis sui, eumque existimavisse patrem à quo educaretur; ab eo tandem morti proximo detectam fuisse originem suam, sibique libellum traditum. Erat præterea juveni forma, quæ Persei filium non dedeceret. Hunc Metellus bis prælio fudit, et die triumphi ante currum egit.

Postea Quintus Metellus bellum in Hispaniâ contra Celtiberos gessit; et quum urbem quæ erat caput gentis obsideret, jamque admotâ machinâ, partem muri, quæ sola convelli poterat, brevì disjecturus vi-

deretur, humanitatem certæ victoriæ prætulit. Vir quidam in obsessâ civitate nobilis, nomine Rethogenes, ad Metellum transierat, relictis in oppido filiis. Irati cives Rethogenis filios machinæ ictibus objecerunt. Nihil motus periculo filiorum, pater hortabatur Metellum ut ne oppugnatione desisteret; at Metellus obsidionem maluit solvere quàm pueros in conspectu patris crudeli nece interfici. Atque hujus mansuetudinis fructum tulit: namque multæ aliæ urbes admiratione hujus facti se sponte ei dediderunt.

Metellus, quum urbem Contrebiam viribus expugnare non posset, ad fallendum hostem convertit animum, et viam reperit quâ propositum ad exitum perduceret. Itinera magno impetu ingrediebatur, deinde alias atque alias regiones petebat; modò hos occupabat montes, modò ad illos transgrediebatur. Quum interim et suis et hostibus ignota esset causa cur sic sua mutaret consilia, à quodam amico interrogatus quid ita incertum belli genus sequeretur: « Absiste, inquit Metellus, ista quærere: namque tunicam meam exurerem, si eam consilium meum scire existimarem. » Postquam verò et exercitum suum ignorantiâ et hostes errore implicavit, quum aliò cursum direxisset, subitò ad Contrebiam reflexit, eamque inopinatam et attonitam oppressit.

Raram Metelli Macedonici felicitatem multi scriptores concelebrant: ea quidem ipsi omnia contigerunt quæ beatam vitam videntur efficere. Fortuna eum nasci voluit in urbe terrarum principe; parentes nobilissimos dedit; adjecit animi eximias dotes, et corporis vires quæ tolerandis laboribus sufficere possent; multa decora in ejus domum congessit: nam quum ipse consul, censor etiam augurque fuisset, et triumphasset, tres filios consules vidit, è quibus unum etiam et censorem et triumphantem, quartum autem prætorem; tres quoque filias bene nuptas. Hunc autem vitæ cursum consentaneus finis excepit: nam Metellum, ultimæ senectutis spatio defunctum, et leni mortis genere inter oscula complexusque natorum exstinctum, filii et generi humeris suis per urbem sustulerunt, et rogo imposuerunt.

LI. QUINTUS METELLUS NUMIDICUS.

Ante J. C. 108; *Anno U. C.* 645.

Quintus Metellus consul cum Jugurthâ, Numidarum rege, bellum gessit. Is à Micipsâ adoptatus, duos ejus filios, fratres suos, interfecerat, ut solus Numidiæ imperio potiretur. Micipsa in amicitiâ et societate populi Romani semper permanserat. Postquam igitur Romæ cognitum est nefarium Jugurthæ scelus, placuit illud ulcisci. Metellus cum exercitu in Africam navigavit, et cum hoste manus conseruit. Quâ in

parte Jugurtha affuit, ibi aliquandiu certatum est, neque hic ullum boni ducis aut militis officium prætermisit. Cæteri verò ejus milites primo congressu pulsi fugatique sunt; Jugurtha in oppidum munitum perfugit. Paucis pòst diebus Metellus eum insecutus, iterum prælio fudit; Numidiam vastavit, urbes amplas et munitissimas cepit: quæ victoria ei nomen *Numidici* fecit.

Postea Quintus Metellus censor factus est, ejusque egregia fuit censura, et omnis vita plena gravitatis. Quum, ab inimicis accusatus, causam de pecuniis repetundis diceret, et ipsius tabulæ circumferrentur judicibus inspiciendæ, nemo ex illis fuit qui non removeret oculos, et se totum averteret, ne quisquam dubitare videretur verumne an falsum esset quod ille retulerat in tabulas. Quum Saturninus, tribunus plebis, legem senatûs majestati adversam et reipublicæ perniciosam tulisset, Metellus in eam legem jurare noluit, eâque de causâ in exsilium actus est. Honestum Rhodi secessum invenit, ibique litteris operam dedit. Ita vir fortissimus de civitate maluit decedere quàm de sententiâ, eique salus patriæ dulcior quàm conspectus fuit.

Metelli filius precibus et lacrymis à populo impetravit ut pater ab exsilio revocaretur. Is fortè ludos spectabat, quum redditæ sunt litteræ quibus scriptum erat, maximo senatûs et populi consensu reditum illi in patriam datum esse. Nihil eo nuncio moveri visus est: non priùs è theatro abiit quàm spectaculum ederetur; non lætitiam suam proximè sedentibus ullâ ex parte ostendit, sed summum gaudium intra se continuit, parique vultu in exsilium abiit et fuit restitutus: adeò moderatum inter secundas et adversas res gessit animum! Tantus verò ad eum advenientem concursus est factus ut dies totus consumptus sit in gratulationibus illum ad portam urbis excipientium; inde in Capitolium ascendentem et lares repetentem universa propemodum civitas deduxit

LII. MARCUS ÆMILIUS SCAURUS.

Ante J. C. 115; *Anno U. C.* 638.

Marcus Æmilius Scaurus nobilii familiâ ortus est, sed paupere. Nam pater ejus, quàmvis patricius, ob rei familiaris inopiam, carbonarium negotium exercuisse dicitur. Filius ipse dubitavit primò utrùm honores peteret an argentariam faceret; sed, quum eloquentiâ valeret, ex eâ gloriam et opes peperit. Consul factus, severum se pro tuendâ militari disciplinâ præbuit, cujus disciplinæ exemplum admiratione dignum referebat ipse in iis libris quos de vitâ suâ scripserat. Quum in eo loco ubi posuerat castra, arbor esset maturis fructibus onusta, postridie abeunte exercitu, arbor intactis fructibus relicta est. Idem Pu-

blio Decio prætori, quòd, se transeunte, sederet, et assurgere jussus non paruisset, vestem scidit, sellam fregit, et, ne quis ad eum in jus iret, edixit.

Marcus Scaurus, ut in tuendâ militari disciplinâ, sic in puniendâ filii sui ignaviâ fuit severus. Quum enim in quodam prælio Romani equites pulsi, deserto imperatore, Romam pavidi repeterent, in quibus erat ipse Scauri filius, misit pater, qui ei dicerent se libentiùs occursurum esse filii in acie interfecti ossibus quàm visurum reducem reum tam turpis fugæ; ideòque conspectum irati patris degeneri filio esse vitandum, si quid verecundiæ in animo superesset. Non tulit juvenis ignominiæ dolorem, et mœrore confectus interiit.

Marcus Scaurus, quum esset summâ senectute et adversâ valetudine, pristinum animi vigorem retinuit. Varius quidam, patriâ Hispanus, vetus Scauri inimicus, senem opprimere conatus est. Accusabat eum acceptæ ab hostibus pecuniæ ad prodendam rempublicam. Scaurus, nobilissimis juvenibus innixus, descendit in forum, datâque respondendi facultate, paucis verbis ita causam egit: «Varius Hispanus ait Marcum Scaurum, senatûs principem, ab hoste corruptum esse, et populi Romani imperium prodidisse; Marcus verò Scaurus, princeps senatûs, negat se esse huic culpæ affinem: testis nemo est; utri vos potiùs credendum putatis?» Quâ dicti gravitate periculum intentatum propulsavit: nam statim populus accusatorem ab illâ actione depulit.

LIII. PUBLIUS RUTILIUS RUFUS.

Ante J. C. 105; *Anno U. C.* 648.

Publius Rutilius Rufus vitæ innocentiâ enituit: quum nemo esset in civitate illo integrior, omni honore dignus est habitus, et consul factus. Quum eum amicus quidam rem injustam aliquando rogaret, et Rutilius constanter negaret, indignatus amicus dixit: «Quid igitur mihi opus est tuâ amicitiâ, si quod rogo non facis? — Imò, respondit Rutilius, quid mihi tuâ, si propter te aliquid inhonestè facere me oporteat?» Sciebat quippe vir sanctus tam contra officium esse amico tribuere quod æquum non sit, quàm non tribuere id quod rectè possimus; atque, si fortè amici à nobis postulent quæ honesta non sunt, religionem et fidem esse amicitiæ anteponendam.

Rutilius tamen in invidiam equitum Romanorum venit, quòd ab eorum injuriis Asiam, cui tunc præerat, defendisset: quarè ab iis repetundarum accusatus est. Rutilius, innocentiâ fretus, senatoris insignia non deposuit; judicibus non supplicavit; ne ornatiùs quidem causam suam dici voluit quàm simplex veritatis ratio ferebat: itaque damnatus

est, et Mitylenas exsulatum abiit. Illi Asiam petenti omnes hujus provinciæ civitates legatos miserunt; hospitio eum, opibus, omni auxilio juverunt. Quum Rutilium quidam consolaretur, et diceret instare arma civilia brevìque futurum ut omnes exsules reverterentur: «Quid tibi, inquit Rutilius, mali feci, ut mihi pejorem reditum optares quàm exitum? Malo patria meo exsilio erubescat quàm reditu mœreat.»

LIV. MARCUS LIVIUS DRUSUS.

Ante J. C. 112; *Anno U. C.* 641.

Marcus Livius Drusus, patre consulari genitus, relictum sibi patrimonium profusis largitionibus dissipavit, adeò ut ipse profiteretur nemini se ad largiendum quidquam reliquisse, præter cœlum et cœnum. Unde, quum pecuniâ egeret, multa contra dignitatem fecit. Tribunus plebis primò senatûs causam suscepit; sed, audax et vehemens, ut propositum assequeretur, leges perniciosas tulit. Quibus quum Philippus consul obsisteret, ei Drusus in comitio ita collum obtorsit ut plurimus sanguis efflueret è naribus; vique additâ contumeliâ, non cruorem, sed muriam de turdis esse dixit. (Philippus enim deliciarum amans, turdorumque imprimis edax habebatur.) Alium etiam virum consularem, iisdem legibus pariter adversantem, ait Drusus se de saxo Tarpeio præcipitaturum.

Nec observantior erga senatum fuit Drusus. Nam quum senatus ad eum misisset ut in curiam veniret: «Quare, inquit Drusus, non ipse senatus ad me venit in Hostiliam propinquam rostris?» Paruitque tribuno senatus. Quibus rebus factum est ut Drusus nec senatui, nec plebi placeret. Unde, quum è foro magnâ hominum frequentiâ stipatus rediret, in atrio domûs suæ cultello percussus est; cultellus lateri ejus affixus relictus est, auctor verò necis in turbâ latuit; Drusus intra paucas horas decessit. Quem ne morti quidem proximum ea deseruit superbia quæ eum in exitium impulerat: quum enim extremum jam redderet spiritum, circumstantium multitudinem intuens: «Ecquando, inquit, amici, similem meî civem habebit respublica?»

Hunc vitæ finem habuit juvenis, clarissimus quidem, sed quem sua semper inquietum ac turbulentum fecerat ambitio. Ipse queri solitus est sibi uni, ne puero quidem, ferias unquam contigisse: nam, adhuc prætextatus, per ambitionem cœpit reos judicibus commendare. Laudantur tamen Drusi quædam facta dictaque. Quum Philippo consuli insidiæ pararentur, ejusque vita in maximo esset periculo, Drusus, re cognitâ, Philippum, licèt inimicum, monuit ut sibi caveret. Exstat etiam Drusi vox egregia: quum enim domum ædificaret, promitteret-

que architectus, si quinque talenta sibi darentur, ita se eam ædificaturum ut nemo in eam despicere posset: «Imo, inquit Drusus, decem dabo, si eam ita componas ut, quidquid agam, non à vicinis tantùm, sed ab omnibus etiam civibus possit perspici.»

LV. CAIUS MARIUS.

Ante J. C. 107; *Anno U. C.* 646.

Caius Marius, humili loco natus, militiæ tirocinium in Hispaniâ, duce Scipione, posuit. Erat imprimis Scipioni carus ob singularem virtutem, et impigram ad pericula et labores alacritatem. Scipio, quum inspicere voluisset quemadmodum ab unoquoque equi curarentur, Marii equum validum et bene curatum invenit: quam diligentiam imperator plurimùm laudavit. Quâdam die, quum fortè post cœnam Scipio cum amicis colloqueretur, dixissetque aliquis, si quid Scipioni accidisset, ecquemnam alium similem imperatorem habitura esset respublica? Scipio, percusso leniter Marii humero: «Fortassis istum, inquit.» Quo dicto excitatus, Marius dignos rebus quas postea gessit spiritus concepit.

Marius, legatus Metello in Numidiâ, criminando eum adeptus est consulatum, et in ejus locum suffectus. Bellum Jugurthinum à Metello prosperè cœptum confecit. Jugurtha ad Getulos profugerat, eorumque regem Bocchum adversùs Romanos concitaverat. Marius Getulos et Bocchum aggressus fudit; castellum in excelsâ rupe positum, ubi regii thesauri erant, non sinè multo labore expugnavit. Bocchus, bello defessus, legatos ad Marium misit, pacem orantes. Sylla quæstor à Mario ad regem remissus; qui Boccho persuasit ut Jugurtham Romanis traderet. Jugurtha igitur vinctus ad Marium deductus est; quem Marius triumphans ante currum egit, et in carcerem cœnosum inclusit; quò quum Jugurtha, veste detractâ, ingrederetur, os diduxit ridentis in modum, et stupens similisque desipienti exclamavit: «Proh! quàm frigidum est vestrum balneum!»

Marius post expeditionem Numidicam iterum consul creatus est, eique bellum contra Cimbros et Teutones decretum est. Hi novi hostes, ab extremis Germaniæ finibus profugi, novas sedes quærebant. Galliâ exclusi, in Italiam transgressi sunt: nec primum impetum barbarorum tres duces Romani sustinuerant; sed Marius primò Teutones sub ipsis Alpium radicibus assecutus, prælio oppressit. Vallem fluviumque medium hostes tenebant, unde militibus Romanis nulla aquæ copia. Aucta necessitate virtus causa victoriæ fuit: namque Marius sitim metuentibus ait, digitum protendens: «Viri estis: en illic aquam habebitis.» Itaque tam acriter pugnatum est, tantaque cædes hostium fuit ut Ro-

mani victores de cruento flumine non plus aquæ biberent quàm sanguinis barbarorum.

Deletis Teutonibus, Caius Marius in Cimbros convertitur: hi ex aliâ parte Italiam ingressi, Athesim flumen non ponte nec navibus, sed ingestâ obrutum sylvâ transiluerant; quibus occurrit Marius. Tum Cimbri legatos ad consulem miserunt, agros sibi suisque fratribus postulantes: ignorabant scilicet Teutonum cladem. Quum Marius ab iis quæsivisset quos illi fratres dicerent, Teutones nominaverunt. Ridens Marius: «Omittite, inquit, fratres: tenent hi acceptam à nobis terram æternùmque tenebunt.» Legati sensere se ludibrio haberi, ultionemque Mario minati sunt statim atque Teutones advenissent. «Atqui adsunt, inquit Marius, decetque vos hinc non discedere, nisi salutatis vestris fratribus.» Tum vinctos adduci jussit Teutonum duces qui in prælio capti fuerant.

His rebus auditis, Cimbri castris egressi ad pugnam prodierunt. Marius aciem ita instituit ut pulvis in oculos et ora hostium ferretur. Incredibili strage prostrata est illa Cimbrorum multitudo: cæsa traduntur centum octoginta hominum millia. Nec minor cum uxoribus pugna quàm cum viris fuit: illæ enim objectis undique plaustris altæ, desuper, quasi è turribus, pugnabant lanceis contisque. Victæ tamen legationem ad Marium miserunt, libertatem orantes; quam quum non impetrassent, suffocatis elisisque infantibus, aut mutuis concidère vulneribus, aut vinculo è crinibus suis facto, ab arboribus jugisque plaustrorum subrectis pependerunt. Ferunt unam conspectam fuisse quæ pedibus suis duos filios, seipsam verò ex arbore suspenderat.

Tunc Romæ primum civile bellum ortum est. Quum enim Sylla consul contra Mithridatem, regem Ponti, missus fuisset, ei Marius illud imperium eripuit, fecitque ut loco Syllæ imperator crearetur. Quâ re commotus, Sylla cum exercitu Romam venit, eam armis occupavit, Mariumque expulit. Marius in palude aliquandiu delituit; sed ibi paulò pòst deprehensus, et, ut erat, nudo corpore cœnoque oblitus, injecto in collum loro raptus est, et in custodiam conjectus. Missus etiam est ad eum occidendum servus publicus, natione Cimber; quem Marius vultûs majestate deterruit. Quum enim hominem ad se gladio stricto venientem vidisset: «Tu ne, inquit, Marium audebis occidere?» Ille attonitus ac tremens, abjecto ferro, fugit. Marius postea, ab iis etiam qui priùs eum occidere voluerant è carcere emissus est.

Marius, acceptâ naviculâ, in Africam trajecit, et in agrum Carthaginiensem pervenit. Ibi quum in locis solitariis sederet, venit ad eum lictor Sextilii prætoris, qui hanc provinciam administrabat. Marius ab eo, quem nunquam læserat, aliquod humanitatis officium exspectabat; at lictor decedere eum provinciâ jussit, nisi vellet in se animadverti.

Torvis oculis eum intuens, Marius nullum dabat responsum. Interrogavit igitur eum lictor ecquid prætori vellet renuntiari. Cui Marius: «Abi, inquit, nuncia te vidisse Caium Marium in Carthaginis magnæ ruinis sedentem.» Duplici exemplo insigni eum admonebat de inconstantiâ rerum humanarum, quum et urbis maximæ exscidium, et viri clarissimi casum ob oculos poneret.

(*Anno U. C.* 666.)

Profecto ad bellum Mithridaticum Syllâ, in Italiam rediit Marius, efferatus magis calamitate quàm domitus. Cum exercitu Romam ingressus, eam cædibus et rapinis vastavit; omnes adversæ factionis nobiles variis suppliciorum generibus affecit: quinque dies totidemque noctes ista scelerum omnium duravit licentia. Hoc tempore admiranda sanè fuit populi Romani abstinentia. Quum enim Marius objecisset domos occisorum diripiendas, nemo fuit qui ullam ex his rem attingeret: quæ populi misericordia erat tacita quædam Marii crudelitatis vituperatio. Tandem Marius, senio et laboribus confectus, in morbum incidit, et ingenti omnium lætitiâ vitam finivit. Cujus viri si expendantur cum virtutibus vitia, haud facilè dictu erit utrùm in bello hostibus an in otio civibus fuerit infestior: quam enim rempublicam contra hostes virtute servaverat, eam togatus ambitione evertit.

Erat Mario ingenuarum artium et liberalium studiorum contemptor animus. Quum ædem Honoris de manubiis hostium vovisset, spretâ peregrinorum marmorum nobilitate, artificumque Græcorum peritiâ, eam vulgari lapide per artificem Romanum curavit ædificandam. Græcas etiam litteras aspernabatur, quòd, inquiebat, suis doctoribus parum ad virtutem prodessent. At idem fortis, validus et adversùs dolorem confirmatus. Quum ei varices in crure secarentur, vetuit se alligari. Acrem tamen fuisse doloris morsum ipse ostendit: nam medico, alterum crus postulanti, noluit præbere, quòd majorem esse remedii quàm morbi dolorem judicaret.

LVI. LUCIUS CORNELIUS SYLLA.

Ante J. C. 108; *Anno U. C.* 646.

Lucius Cornelius Sylla, patricio genere natus, bello Jugurthino quæstor Marii fuit. Vitam antea ludo, vino, libidineque inquinatam duxerat: quapropter Marius molestè tulit quòd sibi, gravissimum bellum gerenti, tam delicatus quæstor sorte obtigisset. Ejusdem tamen, post-

quam in Africam venit, virtus enituit. Bello Cimbrico, legatus consulis, bonam operam navavit. Consul ipse deinde factus, pulso in exsilium Mario, adversùs Mithridatem profectus est. Ac primùm illius regis præfectos duobus prœliis profligavit; dein transgressus in Asiam Mithridatem ipsum fudit; et oppressisset, nisi, adversùs Marium festinans, qualemcumque pacem maluisset componere. Mithridatem tamen pecuniâ mulctavit; Asiâ aliisque provinciis, quas occupaverat, decedere coegit, eumque paternis finibus contentum esse jussit.

Sylla, propter motus urbanos, cum victore exercitu Romam properavit; eos, qui Mario favebant, omnes superavit. Nihil illâ victoriâ fuit crudelius. Sylla, dictator creatus, novo et inaudito exemplo tabulam proscriptionis proposuit, quâ nomina eorum, qui occidendi essent, continebantur: quumque omnium esset orta indignatio, postridie plura etiam adjecit nomina. Ingens cæsorum fuit multitudo. Sævitiæ causam avaritia etiam præbuit, multòque plures propter divitias quàm propter odium victoris necati sunt. Civis quidam innoxius, cui fundus in agro Albano erat, legens proscriptorum nomina, se quoque adscriptum vidit: «Væ, inquit, misero mihi; me fundus Albanus persequitur.» Neque longè progressus, à quodam agnitus et percussus est.

Depulsis prostratisque inimicorum partibus, Sylla *felicem* se edicto appellavit: quumque ejus uxor geminos eodem partu tunc edidisset, puerum *Faustum* puellamque *Faustam* nominari voluit. Tum repentè, contra omnium exspectationem, dictaturam deposuit, dimissisque lictoribus, diù in foro deambulavit. Stupebat populus, eum privatum videns, cujus modò tam formidolosa fuerat potestas: quodque non minùs mirandum fuit, sua ei privato non solùm salus, sed etiam dignitas constitit, qui cives innumeros occîderat. Unus tantùm fuit adolescens qui auderet queri, et recedentem usque ad fores domûs maledictis incessere. Cujus injurias Sylla patienti animo tulit; sed domum ingrediens dixit: «Hic adolescens effîciet ne quis posthac tale imperium deponat.»

Sylla deinde, in villam profectus, rusticari et venando vitam ducere cœpit. Ibi morbo pediculâri correptus interiit, vir ingentis animi, cupidus voluptatum, sed gloriæ cupidior; litteris Græcis atque Latinis eruditus, et virorum litteratorum adeò amans ut sedulitatem etiam mali cujusdam poetæ aliquo præmio dignam duxerit: nam quum ille epigramma ipsi obtulisset, jussit Sylla præmium ei statim dari, eâ tamen lege ne quid postea scriberet. Ante victoriam laudandus; in iis verò quæ secuta sunt nunquam satis vituperandus: urbem enim et Italiam civium sanguine inundavit. Non solùm in vivos sæviit, sed ne mortuis quidem pepercit: nam Caii Marii, cujus, etsi postea inimicus, aliquando tamen quæstor fuerat, erutos cineres in flumen projecit. Quâ crudelitate rerum præclarè gestarum gloriam corrupit.

LVII. LUCIUS LUCULLUS.

Ante J. C. 75; *Anno U. C.* 679.

Lucius Lucullus ingenio, doctrinâ et virtute claruit. In Asiam quæstor profectus, huic provinciæ per multos annos cum laude præfuit. Postea consul factus, ad Mithridaticum bellum à senatu missus, opinionem omnium, quæ de virtute ejus erat, vicit: nam ab eo laus imperatoria non admodum exspectabatur, qui adolescentiam in pacis artibus consumpserat; sed incredibilis quædam ingenii magnitudo non desideravit tardam et indocilem usûs disciplinam. Totum iter consumpsit partim in percontando à peritis, partim in rebus gestis legendis. Habebat porrò admirabilem quamdam rerum memoriam: unde factum est ut in Asiam doctus imperator, venerit, quum esset Româ profectus rei militaris rudis.

Lucullus eo bello magnas ac memorabiles res gessit: Mithridatem sæpe multis locis fudit; Tigranem, regum maximum in Armeniâ, vicit, ultimamque bello manum magis noluit imponere quàm non potuit; sed alioqui per omnia laudabilis, et bello penè invictus, pecuniæ cupidini nimiùm deditus fuit; quam tamen ideo expetebat ut deinde per luxuriam effunderet. Itaque, postquam de Mithridate triumphasset, abjectâ omnium rerum curâ, cœpit delicatè ac molliter vivere, otioque et luxu diffluere: magnificè et immenso sumptu villas ædificavit, atque ad earum usum mare ipsum vexavit. Nam in quibusdam locis moles mari injecit; in aliis verò, suffossis montibus, mare in terras induxit; unde eum haud infacetè Pompeius vocabat Xerxem togatum: Xerxes enim, Persarum rex, quum pontem in Hellesponto fecisset, et ille tempestate ac fluctibus esset disjectus, jussit mari trecentos flagellorum ictus infligi, et compedes dari.

Habebat Lucullus villam prospectu et ambulatione pulcherrimam. Quò quum venisset Pompeius, id unum reprehendit quòd ea habitatio esset quidem æstate peramœna, sed hieme minùs commoda videretur; cui Lucullus: «Putasne, inquit, me minùs sapere quàm hirundines, quæ, adveniente hieme, sedem commutant? Villarum magnificentiæ respondebat epularum sumptus. Quum aliquando modica ei, utpote soli, cœna esset posita, coquum graviter objurgavit; eique excusanti ac dicenti se non debuisse lautum parare convivium, quòd nemo esset ad cœnam invitatus: «Quid ais? inquit iratus Lucullus; an nesciebas Lucullum hodie cœnaturum esse apud Lucullum?»

LVIII. QUINTUS SERTORIUS.

Ante J. C. 91; *Anno U. C.* 663.

Quintus Sertorius, ignobili loco natus, prima stipendia bello Cimbrico fecit, in quo honos ei virtutis causâ habitus est. In primâ adversùs Cimbros pugnâ, licèt vulneratus, et equo amisso, Rhodanum, flumen rapidissimum, nando trajecit, loricâ et scuto retentis. Egregia etiam fuit ejus opera bello sociali. Dum enim nullum periculum refugit, alter ei oculus effossus est; idque ille non dehonestamentum ori, sed ornamentum meritò arbitrabatur: dicebat enim cætera bellicæ fortitudinis insignia, ut armillas, coronasve, nec semper, nec ubique gestari; se verò, quotiescumque in publicum prodiret, suæ virtutis pignus, vulnus scilicet ob rempublicam acceptum, in ipsâ fronte ostentare, nec quemquam sibi occurrere qui non esset laudum suarum admirator.

Postquam Sylla, ex bello Mithridatico in Italiam reversus, cœpit dominari, Sertorius, qui partium Marianarum fuerat, in Hispaniam se contulit. Ibi virtutis admiratione et imperandi moderatione, Hispanorum simul ac Romanorum, qui in iis locis consederant, animos sibi conciliavit; magnoque exercitu collecto, quos adversùs eum Sylla miserat duces profligavit. Missus deinde à Syllâ Metellus à Sertorio fusus quoque ac fugatus est. Pompeium etiam, qui in Hispaniam venerat ut Metello opem ferret, levibus prœliis lacessivit Sertorius. Is enim, non minùs cautus quàm acer imperator, universæ dimicationis discrimen vitabat, quòd imparem se universo Romanorum exercitui sentiret; interim verò hostem crebris damnis fatigabat.

Quum aliquando Sertorii milites pugnam inconsultè flagitarent, nec jam eorum impetus posset cohiberi, Sertorius duos in eorum conspectu equos constituit, prævalidum alterum, alterum verò admodum exilem et imbecillum: deinde equi infirmi caudam à robusto juvene totam simul abrumpi jussit; validi autem equi singulos pilos ab imbecillo sene paulatim velli. Irritus adolescentis labor risum omnibus movit; senex autem, quàmvis tremulâ manu, id perfecit quod imperatum sibi fuerat. Quumque milites non satis intelligerent quorsum ea res spectaret, Sertorius ad eos conversus: «Equi caudæ, inquit, similis est hostium exercitus: qui partes aggreditur, facilè potest opprimere; contrà nihil proficiet qui universum conabitur prosternere.»

Erat Sertorio cerva candida eximiæ pulchritudinis, quæ ipsi magno usui fuit ut obsequentiores haberet milites. Hanc Sertorius assuefecerat se vocantem audire et euntem sequi. Dianæ donum esse omnibus persuasit, seque ab eâ moneri quæ facto opus essent. Si quid durius vellet

imperare, se à cervâ monitum prædicabat, statimque libentes parebant. Cerva in quâdam hostium incursione amissa est ac periisse credita; quod ægerrimè tulit Sertorius. Multis pòst diebus à quodam homine inventa est. Sertorius eum qui id sibi nunciabat tacere jussit, cervamque repentè in locum, ubi jus reddere solebat immitti. Ipse vultu hilari in publicum progressus, dixit sibi in quiete visam esse cervam, quæ perierat, ad se reverti. Tunc emissa ex composito cerva, ubi Sertorium conspexit, læto saltu ad tribunal fertur, ac dexteram sedentis ore lambit: unde clamor factus, ortaque omnium admiratio est.

Victus postea à Pompeio, Sertorius pristinos mores mutavit, et ad iracundiam deflexit. Multos ob suspicionem proditionis crudeliter interfecit: unde odio esse cœpit exercitui. Romani molestè ferebant quòd Hispanis magis quàm sibi confideret, hosque haberet corporis custodes. In hac animorum ægritudine non deserebant Sertorium, quem necessarium sibi ducem judicabant, sed eum amare desierant. Deinde in Hispanos quoquè sæviit Sertorius, quòd ii tributa non tolerarent; ipse etiam Sertorius curis jam et laboribus fessus, ad obeunda ducis munia segnior, ad luxum et libidines declinavit. Quare, alienatis omnium animis, jussa imperatoris contemnebantur. Tandem, factâ adversùs eum conjuratione, Sertorius in convivio à suis est interfectus.

LIX. CNÆUS POMPEIUS MAGNUS.

Ante J. C. 88; *Anno U. C.* 666.

Cnæus Pompeius, stirpis senatoriæ adolescens, in bello civili se et patrem consilio servavit. Pompeii pater suo exercitui ob avaritiam erat invisus: itaque facta est in eum conspiratio. Terentius quidam, Cnæi Pompeii contubernalis, eum occidendum susceperat, dum alii tabernaculum patris incenderent. Quæ res juveni Pompeio cœnanti nunciata est. Ipse nihil periculo motus, solitò hilariùs bibit, et cum Terentio eâdem, quâ antea, comitate usus est. Deinde cubiculum ingressus, clam subduxit se tentorio, et firmam patri circumposuit custodiam. Terentius tum districto ense ad lectum Pompeii accessit, multisque ictibus stragula percusit. Ortâ mox seditione, Pompeius se in media conjecit agmina, militesque tumultuantes precibus et lacrymis placavit, ac suo duci reconciliavit.

Pompeius, eodem bello civili, partes Syllæ secutus, ita egit ut ab eo maximè diligeretur. Annos tres et viginti natus, ut Syllæ auxilio veniret, paterni exercitûs reliquias collegit, statimque dux peritus exstitit. Illius magnus apud militem amor, magna apud omnes admiratio fuit; nullus ei labor tædio, nulla defatigatio molestiæ erat. Cibi vi-

nique temperans, somni parcus, inter milites corpus exercebat. Cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis luctâ certabat. Tum ad Syllam iter intendit; non per loca devia, sed palàm incedens, tres hostium exercitus aut fudit, aut sibi adjunxit. Quem ubi Sylla ad se accedere audivit, egregiamque sub signis juventutem aspexit, desiliit ex equo, Pompeiumque salutavit imperatorem; deinceps ei venienti solebat assurgere de sellâ et caput aperire: quem honorem nemini, nisi Pompeio, tribuebat.

Postea Pompeius in Siciliam profectus est, ut eam à Carbone, Syllæ inimico, occupatam reciperet. Carbo comprehensus, et ad Pompeium ductus est. Quem Pompeius, postquam acerbè in eum invectus fuisset, ad supplicium duci jussit. Tunc ille, qui ter consul fuerat, demissè ac muliebriter mortem extimuit: voce flebili petit ut sibi alvum levare liceret, sicque brevem miserrimæ vitæ usuram rapuit, donec miles, moræ impatiens, caput in sordido loco sedentis amputavit. Longè moderatior fuit Pompeius erga Sthenium, Siculæ cujusdam civitatis principem. Quum enim in eam civitatem animadvertere decrevisset quæ sibi adversata fuerat, exclamavit Sthenius eum iniquè facturum, si ob culpam unius omnes plecteret. Interroganti Pompeio quisnam ille unus esset: «Ego, inquit Sthenius, qui meos cives ad id induxi.» Tam liberâ voce delectatus, Pompeius omnibus et Sthenio ipsi pepercit.

Transgressus inde in Africam, Pompeius Iarbam, Numidiæ regem, qui Marii partibus favebat, bello persecutus est. Intra dies quadraginta hostem oppressit, et Africam subegit adolescens quatuor et viginti annorum. Tum ei litteræ à Syllâ redditæ sunt, quibus jubebatur exercitum dimittere, et cum unâ tantùm legione successorem exspectare. Id ægrè tulit Pompeius: paruit tamen, et Romam reversus est. Revertenti incredibilis multitudo obviàm ivit, Sylla quoque eum lætus excepit, et *Magni* cognomine appellavit. Nihilominus Pompeio triumphum petenti restitit: neque eâ re à proposito deterritus est Pompeius; aususque est dicere plures solem orientem adorare quàm occidentem: quo dicto innuebat Syllæ potentiam minui, suam verò crescere. Eâ voce auditâ, Sylla juvenis constantiam admiratus, exclamavit: «Triumphet! triumphet!»

Metello jam seni, et bellum in Hispaniâ segniùs gerenti, collega datus est Pompeius, ibique adversùs Sertorium vario eventu dimicavit. In quodam prælio maximum subiit periculum: quum enim in eum vir vastâ corporis magnitudine impetum fecisset, Pompeius manum hostis amputavit; sed multis in eum concurrentibus, vulnus in femore accepit, et à suis fugientibus desertus, in hostium potestate erat. At præter spem evasit: illi scilicet equum Pompeii auro phalerisque eximiis instructum ceperant. Dum verò prædam inter se altercantes partiuntur,

Pompeius illorum manus effugit. Altero prælio, quum Metellus Pompeio laboranti auxilio venisset, fususque esset Sertorii exercitus, is dixisse fertur: «Nisi ista anus supervenisset, ego hunc puerum verberibus castigatum Romam dimisissem.» Metellum anum appellabat, quia is, jam senex, ad mollem et effeminatam vitam deflexerat. Tandem, Sertorio interfecto, Pompeius Hispaniam recepit.

Quum piratæ maria omnia infestarent, et quasdam etiam Italiæ urbes diripuissent, ad eos opprimendos cum imperio extraordinario missus est Pompeius. Nimiæ viri potentiæ obsistebant quidam ex optimatibus, et imprimis Quintus Catulus; qui quum in concione dixisset esse quidem præclarum virum Cnæum Pompeium, sed non esse uni omnia tribuenda, adjecissetque: «Si quid ei acciderit, ecquemnam in ejus locum substituetis?» acclamavit universa concio: «Te ipsum, Quinte Catule.» Tam honorifico civium testimonio victus, Catulus è concione discessit. Pompeius, disposito per omnes maris recessus navium præsidio, brevì terrarum orbem illâ peste liberavit; prædones multis locis victos fudit; eosdem in deditionem acceptos in urbibus et agris procul à mari collocavit. Nihil hac victoriâ celerius: nam intra quadragesimum diem piratas toto mari expulit.

Confecto bello piratico, Cnæus Pompeius contra Mithridatem profectus est, et in Asiam magnâ celeritate contendit. Prælium cum rege conserere cupiebat, neque opportuna dabatur pugnandi facultas, quia Mithridates interdiu castris se continebat, noctu verò haud tutum erat congredi cum hoste in locis ignotis. Quádam tamen nocte Mithridatem Pompeius aggressus est. Luna magno fuit Romanis adjumento: nam quum eam Romani à tergo haberent, umbræ corporum, longiùs projectæ, ad primos usque hostium ordines pertinebant: unde decepti regii milites, in umbras, tanquam in propinquum hostem, tela mittebant. Victus Mithridates in Pontum profugit. Adversùs eum filius Pharnaces rebellavit, quia, occisis à patre fratribus, vitæ suæ ipse timebat. Mithridates, à filio obsessus, venenum sumpsit; quod quum tardiùs subiret, quia adversùs venena multis antea medicaminibus corpus firmaverat, à milite Gallo volens interfectus est.

Pompeius deinde Tigranem, Armeniæ regem, qui Mithridatis partes secutus fuerat, ad deditionem compulit; quem tamen ad genúa procumbentem erexit, benignis verbis recreavit et in regnum restituit; æquè pulchrum esse judicans et vincere reges et facere. Tandem, rebus Asiæ compositis, in Italiam rediit. Ad urbem venit, non, ut plerique timuerant, armatus, sed dimisso exercitu, et tertium triumphum biduo duxit. Insignis fuit multis novis inusitatisque ornamentis hic triumphus; sed nihil illustrius visum quàm quòd tribus triumphis tres orbis partes devictæ causam præbuerunt: Pompeius enim, quod antea con-

tigerat nemini, primò ex Africâ, iterum ex Europâ, tertiò ex Asiâ triumphavit; felix opinione hominum futurus, si, quem gloriæ, eumdem vitæ finem habuisset, neque adversam fortunam esset expertus jam senex.

Postea orta est inter Pompeium et Cæsarem gravis dissensio, quòd hic superiorem, ille verò parem ferre non posset: et inde bellum civile exarsit. Cæsar, cum infesto exercitu in Italiam venit. Pompeius, relictâ urbe ac deinde Italiâ ipsâ, Thessaliam petiit, et cum eo consules senatusque omnis: quem insecutus Cæsar, apud Pharsaliam acie fudit. Victus Pompeius ad Ptolemæum, Alexandriæ regem, cui tutor à senatu datus fuerat, profugit; sed ille Pompeium interfici jussit. Latus Pompeii sub oculis uxoris et liberorum mucrone confossum est, caput abscissum, truncus in Nilum conjectus. Dein caput velamine involutum ad Cæsarem delatum est, qui, eo viso, lacrymas fudit, et illud multis pretiosissimisque odoribus cremandum curavit.

Is fuit viri præstantissimi post tres consulatus et totidem triumphos vitæ exitus. Erant in Pompeio multæ ac magnæ virtutes, ac præcipuè admiranda frugalitas. Quum ei ægrotanti præcepisset medicus ut turdum ederet, negarent autem servi eam avem usquam æstivo tempore posse reperiri, nisi apud Lucullum, qui turdos domi saginaret, vetuit Pompeius turdum inde peti, medicoque dixit: «Ergo, nisi Lucullus perditus deliciis esset, non viveret Pompeius?» Aliam avem, quæ parabilis esset, sibi jussit apponi.

Viris doctis magnum honorem habebat Pompeius. Ex Syriâ decedens, confecto bello Mithridatico, quum Rhodum venisset, nobilissimum philosophum Posidonium cupiit audire; sed quum is diceretur tunc graviter ægrotare, quòd maximis podagræ doloribus cruciabatur, voluit saltem Pompeius eum visere. Mos erat ut, consule ædes aliquas ingressuro, lictor fores virgâ percuteret, admonens consulem adesse; at Pompeius vetuit fores Posidonii percuti, honoris causâ. Quem ut vidit et salutavit, molestè se ferre dixit quòd eum non posset audire. At ille: «Tu verò, inquit, potes, nec commitam ut dolor corporis efficiat ut frustra tantus vir ad me venerit.» Itaque, cubans, graviter et copiosè disseruit de hoc ipso: nihil esse bonum nisi quod honestum esset, et nihil malum dici posse quod turpe non esset. Quum verò dolor interdum acriter eum pungeret, sæpe dixit: «Nihil agis, dolor: quàmvis sis molestus, nunquam te esse malum confitebor.

LX. CAIUS JULIUS CÆSAR.

Ante J. C. 85; *Anno U. C.* 669.

Cajus Julius Cæsar, nobilissimâ genitus familiâ, annum agens sextum et decimum, patrem amisit; paulò pòst Corneliam duxit uxorem:

cujus quum pater esset Syllæ inimicus, voluit Sylla Cæsarem compellere ut eam dimitteret; neque id potuit efficere. Ob eam causam Cæsar bonis spoliatus, quum etiam ad mortem quæreretur, mutatâ veste, noctu elapsus est ex urbe, et, quanquam tunc quartanæ morbo laboraret, propè per singulas noctes latebras commutare cogebatur; sic quoquè comprehensus á Syllæ liberto, vix datâ pecuniâ evasit. Postremò per proximos suos veniam impetravit, diù repugnante Syllâ: qui quum deprecantibus ornatissimis viris denegasset, atque illi pertinaciter contenderent, expugnatus tandem dixit eum, quem salvum tantopere cuperent, aliquando optimatum partibus, quas simul defendissent, exitio futurum, multosque in eo puero inesse Marios.

Cæsar, mortuo Syllâ et compositâ seditione civili, Rhodum secedere statuit, ut per otium Apollonio, tunc clarissimo dicendi magistro, operam daret; sed in itinere à piratis captus est, mansitque apud eos quadraginta dies. Ita porrò per illud omne spatium se gessit ut piratis terrori pariter ac venerationi esset; atque, ne iis suspicionem ullam daret qui oculis tantummodo eum custodiebant, nunquam aut nocte aut die excalceatus est. Interim comites servosque dimiserat ad expediendas pecunias quibus redimeretur. Viginti talenta piratæ postulaverant; ille verò quinquaginta daturum se spopondit: quibus numeratis, expositus est in litore. Cæsar liberatus, confestim Miletum, quæ urbs proximè aberat, properavit; ibique contractâ classe, stantes adhuc in eodem loco prædones noctu adortus, aliquot naves, mersis aliis, cepit, piratasque ad deditionem redactos eo affecit supplicio quod illis sæpe per jocum minatus fuerat, dum ab iis detineretur: crucibus illos suffigi jussit.

Julius Cæsar, quæstor factus, in Hispaniam profectus est; quumque Alpes transiret, et ad conspectum pauperis cujusdam vici comites ejus per jocum inter se disputarent, an illic etiam esset ambitioni locus, seriò dixit Cæsar malle se ibi primum esse quàm Romæ secundum. Ita animus dominationis avidus, à primâ ætate regnum concupiscebat, semperque in ore habebat hos Euripidis, Græci poetæ, versus:

> Nam si violandum est jus, regnandi gratiâ
> Violandum est; aliis rebus pietatem colas.

Quum verò Gades, quod est Hispaniæ oppidum, venisset, visâ Alexandri Magni imagine ingemuit et lacrymas fudit: causam quærentibus amicis: «Nonne, inquit, idonea dolendi causa est, quòd nihildum memorabile gesserim, eam ætatem adeptus quâ Alexander jam terrarum orbem subegerat?»

Julius Cæsar in captandâ plebis gratiâ et ambiendis honoribus patrimonium effudit: ære alieno oppressus, ipse dicebat sibi opus esse

millies sestertiûm ut haberet nihil. His artibus consulatum adeptus est; collegaque ei datus Marcus Bibulus, cui Cæsaris consilia haud placebant. Inito magistratu, Cæsar legem Agrariam tulit, hoc est de dividendo egenis civibus agro publico: cui legi quum senatus repugnaret, Cæsar rem ad populum detulit. Bibulus collega in forum venit ut legi ferendæ obsisteret; sed tanta commota est seditio ut in caput consulis cophinus stercore plenus effunderetur, fascesque frangerentur. Tandem Bibulus à satellitibus Cæsaris foro expulsus, domi se continere per reliquum anni tempus coactus est, curiâque abstinere. Interea unus Cæsar omnia ad arbitrium in republicâ administravit: unde quidam homines faceti, quæ eo anno gesta sunt, non, ut mos erat, consulibus Cæsare et Bibulo acta esse dicebant, sed Julio et Cæsare, unum consulem nomine et cognomine pro duobus appellantes.

Julius Cæsar, functus consulatu, Galliam provinciam sorte obtinuit. Gessit autem novem annis, quibus in imperio fuit, hæc ferè. Galliam in provinciæ Romanæ formam redegit; Germanos, qui trans Rhenum incolunt, primus Romanorum, ponte fabricato aggressus, maximis affecit cladibus. Britannos, antea ignotos, vicit, iisque pecunias et obsides imperavit; quo in bello multa Cæsaris facta egregia narrantur. Inclinante in fugam exercitu, rapuit è manu militis fugientis scutum, et in primam aciem volitans, pugnam restituit. In alio prælio, aquiliferum terga vertentem faucibus comprehendit, in contrariam partem retraxit, dexteramque ad hostem protendens: « Quorsum tu, inquit, abis? Illic sunt cum quibus dimicamus. » Quo facto militibus animos addidit.

Cæsar, quum adhuc in Galliâ detineretur, ne imperfecto bello discederet, postulavit ut sibi liceret, quàmvis absenti, secundum consulatum petere; quod ei à senatu est negatum. Eâ re commotus, in Italiam rediit, armis injuriam acceptam vindicaturus; plurimisque urbibus occupatis, Brundusium contendit, quò Pompeius consulesque confugerant. Tunc summæ audaciæ facinus Cæsar edidit: à Brundusio Dyrrachium, inter oppositas classes, gravissimâ hieme transmisit; cessantibusque copiis, quas subsequi jusserat, quum ad eas arcessendas frustra misisset: moræ impatiens, castris noctu egreditur, clam solus naviculam conscendit, obvoluto capite, ne agnosceretur. Mare, adverso vento vehementer flante, intumescebat; in altum tamen protinus dirigi navigium jubet; quumque gubernator, penè obrutus fluctibus, adversæ tempestati cederet: « Quid times? ait: Cæsarem vehis. »

Deinde Cæsar Thessaliam petiit, ubi Pompeium Pharsalico prælio fudit, fugientem persecutus est, eumque in itinere cognovit occisum fuisse. Tum bellum Ptolomæo, Pompeii interfectori, intulit, à quo sibi quoquè insidias parari videbat; quo victo, Cæsar in Pontum transiit,

Pharnacemque, Mithridatis filium, rebellantem aggressus, intra quintum ab adventu diem, quatuor verò, quibus in conspectum venerat, horis, uno prælio profligavit. Quam victoriæ celeritatem inter triumphandum notavit, inscripto inter pompæ ornamenta trium verborum titulo, *Veni, vidi, vici.* Sua deinceps Cæsarem ubique comitata est fortuna. Scipionem et Jubam, Numidiæ regem, reliquias Pompeianarum partium in Africâ refoventes, devicit. Pompeii liberos in Hispaniâ superavit: clementer usus est victoriâ, et omnibus, qui contra se arma tulerant, pepercit. Regressus in urbem, quinquies triumphavit.

Bellis civilibus confectis, Cæsar, dictator in perpetuum creatus, agere insolentiùs cœpit: senatum ad se venientem sedens excepit, et quemdam ut assurgeret monentem, irato vultu respexit. Quum Antonius, Cæsaris in omnibus expeditionibus comes, et tunc in consulatu collega, ei in sellâ aureâ sedenti pro rostris, diadema, insigne regium, imponeret, non visus est eo facto offensus. Quare conjuratum est in eum à sexaginta et ampliùs viris, Cassio et Bruto ducibus conspirationis. Quum igitur Cæsar idibus Martiis in senatum venisset, assidentem specie officii circumsteterunt, illicoque unus è conjuratis, quasi aliquid rogaturus, propiùs accessit, renuentique togam ab utroque humero apprehendit. Deinde clamantem: «Ista quidem vis est,» Cassius vulnerat paulò infra jugulum. Cæsar Cassii brachium arreptum graphio trajecit, conatusque prosilire, aliud vulnus accepit. Quum Marcum Brutum, quem loco filii habebat, in se irruentem vidisset, dixit: «Tu quoque, fili mi!» Dein ubi animadvertit undique se strictis pugionibus peti, togâ caput obvolvit, atque ita tribus et viginti plagis confossus est.

Erat Cæsar excelsâ staturâ, nigris vegetisque oculis, capite calvo: quam calvitii deformitatem ægrè ferebat, quòd sæpe obtrectantium jocis esset obnoxia. Itaque, ex omnibus honoribus sibi à senatu populoque decretis, non aliud recepit aut usurpavit libentiùs quàm jus laureæ perpetuò gestandæ. Eum vini parcissimum fuisse ne inimici quidem negârunt: unde Cato dicere solebat unum ex omnibus Cæsarem ad evertendam rempublicam sobrium accessisse. Armorum et equitandi peritissimus erat; laboris ultra fidem patiens; in agmine nonnunquam equo, sæpiùs pedibus anteibat, capite detecto, sive sol, sive imber esset. Longissimas vias incredibili celeritate confecit, ita ut persæpe nuntios de se prævenerit; neque eum morabantur flumina, quæ, vel nando, vel innixus inflatis utribus, trajiciebat.

LXI. MARCUS CATO UTICENSIS.

Ante J. C. 73; *Anno U. C.* 681.

Marcus Cato, adhuc puer, invictum animi robur ostendit. Quum in domo Drusi avunculi sui educaretur, Latini, de civitate impetrandâ, Romam venerùnt. Popedius, Latinorum princeps, qui Drusi hospes erat, Catonem puerum rogavit ut Latinos apud avunculum adjuvaret; Cato vultu constanti negavit id se facturum. Iterum deinde ac sæpiùs interpellatus, in proposito perstitit. Tunc Popedius puerum in excelsam ædium partem levatum tenuit, et abjecturum inde se minatus est, nisi precibus obtemperaret; neque hoc metu à sententiâ eum potuit dimovere. Tunc Popedius exclamasse fertur: «Gratulemur nobis, Latini, hunc esse tam parvum; si enim senator esset, ne sperare quidem jus civitatis nobis liceret.»

Cato quum, salutandi gratiâ, ad Syllam à pædagogo duceretur, et in atrio cruenta proscriptorum capita vidisset, Syllæ crudelitatem exsecratus est; seque eodem esse animo significavit quo puer alius, nomine Cassius, qui tunc publicam scholam cum Fausto, Syllæ filio, frequentabat. Quum enim Faustus proscriptionem paternam in scholâ laudaret, diceretque se, quum per ætatem posset, eamdem rem esse facturum, ei sodalis gravem colaphum impegit.

Insignis fuit, et ad imitandum proponenda, Catonis erga fratrem benevolentia. Quum enim interrogaretur quem omnium maximè diligeret, respondit: «Fratrem.» Iterum interrogatus, quem secundum maximè diligeret, iterum «Fratrem» respondit. Quærenti tertiò idem responsum dedit, donec ille à percunctando desisteret. Crevit cum ætate ille Catonis in fratrem amor: ab ejus latere non discedebat; ei in omnibus rebus morem gerebat. Annos natus viginti, nunquam sinè fratre cœnaverat, nunquam in forum prodierat, nunquam iter susceperat. Diversum tamen erat utriusque ingenium: in utroque probi mores erant, sed Catonis indoles severior.

Cato, quum frater, qui erat tribunus militum, ad bellum profectus esset, ne eum desereret, voluntaria stipendia fecit. Accidit postea ut Catonis frater in Asiam proficisci cogeretur, et iter faciens in morbum incideret: quod ubi audivit Cato, licèt tunc gravis tempestas sæviret, neque parata esset magna navis, solvit è portu Thessalonicæ exiguâ naviculâ cum duobus tantùm amicis tribusque servis, et, penè haustus fluctibus, tandem præter spem incolumis evasit. At fratrem modò defunctum vitâ reperit. Tunc questibus et lacrymis totum se tradidit: mortui corpus quàm magnificentissimo potuit funere extulit, et mar-

moreum tumulum exstrui curavit suis impensis. Vela deinde facturus, quum suaderent amici ut fratris reliquias in alio navigio poneret, animam se priùs quàm illas relicturum respondit; atque ita solvit.

Cato quæstor in insulam Cyprum missus est, ad colligendam Ptolomæi regis pecuniam, à quo populus Romanus hæres institutus fuerat. Integerrimâ fide eam rem administravit. Summa longè major, quàm quisquam sperare potuisset, redacta est. Ferè septem millia talentorum navibus imposuit Cato; atque ut naufragii pericula vitaret, singulis vasis, quibus inclusa erat pecunia, corticem suberis longo funiculo alligavit, ut si fortè mersum navigium esset, locum amissæ pecuniæ cortex supernatans indicaret. Catoni advenienti senatus et tota ferme civitas obviàm effusa est, nec erat res triumpho absimilis. Actæ sunt Catoni à senatu gratiæ, præturaque illi et jus spectandi ludos prætextato extra ordinem data. Quem honorem Cato noluit accipere, iniquum esse affirmans sibi decerni quod nulli alii tribueretur.

Quum Cæsar consul legem reipublicæ perniciosam tulisset, Cato solus, cæteris exterritis, huic legi obstitit. Iratus Cæsar Catonem extrahi curiâ, et in vincula rapi jussit: at ille nihil de libertate linguæ remisit; sed in ipsâ ad carcerem viâ de lege disputabat, civesque commonebat ut talia molientibus adversarentur. Catonem sequebantur mœsti patres; quorum unus, objurgatus à Cæsare quòd nondum misso senatu discederet: «Malo, inquit, esse cum Catone in carcere quàm tecum in curiâ.» Exspectabat Cæsar dum ad humiles preces Cato sese demitteret: quod ubi frustra à se sperari intellexit, pudore victus, unum è tribunis misit qui Catonem dimitteret.

Cato Pompeii partes bello civili secutus est, eoque victo exercitûs reliquias in Africam cum ingenti itinerum difficultate perduxit. Quum verò ei summum à militibus deferretur imperium, Scipioni, quòd vir esset consularis, parere maluit. Scipione etiam devicto, Uticam Africæ urbem petivit, ubi filium hortatus est ut clementiam Cæsaris experiretur; ipse verò cœnatus deambulavit, et cubitum iturus, arctiùs diutiùsque in complexu filii hæsit; deinde ingressus cubiculum, ferro sibi ipse mortem conscivit. Cæsar, auditâ Catonis morte, dixit illum gloriæ suæ invidisse, quòd sibi laudem servati Catonis eripuisset. Catonis liberos, eisque patrimonium incolume servavit.

LXII. MARCUS TULLIUS CICERO.

Ante J. C. 107; *Anno U. C.* 637.

Marcus Tullius Cicero, equestri genere, Arpini, quod est, Volscorum oppidum, natus est. Ex ejus avis unus verrucam in extremo naso

sitam habuit, ciceris grano similem, inde cognomen Ciceronis genti inditum. Quum id Marco Tullio à nonnullis probro verteretur: «Dabo operam, inquit, ut istud cognomen nobilissimorum nominum splendorem vincat.» Quum eas artes disceret quibus ætas puerilis ad humanitatem solet informari, ingenium ejus ita eluxit ut eum æquales, è scholâ redeuntes, medium, tanquam regem, circumstantes deducerent domum: imò eorum parentes, pueri famâ commoti, in ludum litterarium ventitabant, ut eum viserent. Ea res tamen quibusdam rustici et inculti ingenii stomachum movebat, qui cæteros pueros graviter objurgabant, quòd talem condiscipulo suo honorem tribuerent.

Tullius Cicero, adolescens, eloquentiam et libertatem suam adversùs Syllanos ostendit. Chrysogonum quemdam, Syllæ libertum, acriter insectatus est, quòd, dictatoris potentiâ fretus, in bona civium invadebat. Ex quo veritus invidiam Cicero, Athenas petivit, ubi Antiochum philosophum studiosè audivit. Inde eloquentiæ gratiâ Rhodum se contulit, ubi Molone, rhetore tum disertissimo, magistro usus est. Qui, quum Ciceronem dicentem audivisset, flevisse dicitur, quòd prævideret per hunc Græcos à Romanis ingenii et eloquentiæ laude superatum iri. Romam reversus, quæstor in Siciliâ fuit. Nullius verò quæstura aut gratior, aut clarior fuit: quum in magnâ annonæ difficultate ingentem frumenti vim inde Romam mitteret, Siculos initio offendit, postea verò, ubi diligentiam, justitiam et comitatem ejus experti fuerunt, majores quæstori suo honores, quàm ulli unquam prætori detulerunt.

Cicero, consul factus, Sergii Catilinæ conjurationem singulari virtute, constantiâ curâque compressit. Is nempe indignatus quòd in petitione consulatûs repulsam passus esset, et furore amens, cum pluribus viris nobilibus Ciceronem interficere, senatun trucidare, urbem incendere, ærarium diripere constituerat. Quæ tam atrox conjuratio à Cicerone detecta est. Catilina, metu consulis, Româ ad exercitum, quem paraverat, profugit; socii ejus comprehensi in carcere necati sunt. Senator quidam filium supplicio mortis ipse affecit. Juvenis scilicet ingenio, litteris et formâ inter æquales conspicuus, pravo consilio amicitiam Catilinæ secutus fuerat, et in castra ejus properabat: quem pater ex medio itinere retractum occîdit, his eum verbis increpans: «Non ego te Catilinæ adversùs patriam, sed patriæ adversùs Catilinam genui.

Non ideo Catilina ab incœpto destitit, sed infestis signis Romam petens, cum exercitu cæsus est. Adeò acriter dimicatum est ut nemo hostium prælio superfuerit: quem quisque in pugnando ceperat, eum, amissâ animâ, tegebat locum. Ipse Catilina longè à suis inter eorum, quos occiderat, cadavera cecidit, morte pulcherrimâ, si pro patriâ

suâ sic occubuisset! Senatus populusque Romanus Ciceronem *patriæ patrem* appellavit. Ea rès tamen Ciceroni postea invidiam creavit, adeò ut abeuntem magistratu verba facere ad populum vetuerit quidam tribunus plebis, quòd cives indictâ causâ damnavisset, sed solitum dunta-xat juramentum præstare ei permiserit. Tum Cicero magnâ voce: «Juro, inquit, rempublicam atque urbem Romam meâ unius operâ salvam esse:» quâ voce delectatus populus Romanus, et ipse juravit verum esse Ciceronis juramentum.

Paucis pòst annis Cicero reus factus est à Clodio, tribuno plebis, eàdem de causâ, quòd nempe cives Romanos necavisset. Tunc mœstus senatus, tanquam in publico luctu, vestem mutavit. Cicero, quum posset armis salutem suam defendere, maluit urbe cedere quàm suâ causâ cædem fieri. Proficiscentem omnes boni flentes prosecuti sunt. Dein Clodius edictum proposuit, ut Marco Tullio igni et aquâ interdiceretur: illius domum et villas incendit. Sed vis illa diuturna non fuit: mox enim maximo omnium ordinum studio Cicero in patriam revocatus est. Obviàm ei redeunti ab universis itum est; domus ejus publicâ pecuniâ restituta est. Postea Cicero, Pompeii partes secutus, à Cæsare victore veniam accepit. Quo interfecto, Octavium, hæredem Cæsaris, fovit atque ornavit, ut eum Antonio republicam vexanti opponeret; sed ab illo deinde desertus est et proditus.

Antonius, initâ cum Octavio societate, Ciceronem jamdiu sibi inimicum proscripsit. Quâ re auditâ, Cicero transversis itineribus fugit in villam quæ à mari proximè aberat, indeque navem conscendit, in Macedoniam transiturus. Quum verò jam aliquoties in altum provectum venti adversi retulissent, et ipse jactationem navis pati non posset, regressus ad villam: «Moriar, inquit, in patriâ sæpe servatâ.» Mox adventantibus percussoribus, quum servi parati essent ad dimicandum fortiter, ipse lecticam, quâ vehebatur, deponi jussit, eosque quietos pati quod sors iniqua cogeret. Prominenti ex lecticâ et immotam cervicem præbenti caput præcisum est. Manus quoquè abscissæ; caput relatum est ad Antonium, ejusque jussu inter duas manus in rostris positum. Fulvia, Antonii uxor, quæ se à Cicerone læsam arbitrabatur, caput manibus sumpsit, in genua imposuit, extractamque linguam acu confixit.

Cicero dicax erat, et facetiarum amans, adeò ut ab inimicis solitus sit appellari *scurra consularis*. Quum Lentulum, generum suum, exiguæ staturæ hominem, vidisset longo gladio accinctum: «Quis, inquit, generum meum ad gladium alligavit?» Matrona quædam juniorem se quàm erat simulans, dictitabat se triginta tantùm annos habere: cui Cicero: «Verum est, inquit; nam hoc viginti annos audio.» Cæsar, altero consule mortuo, die decembris ultimâ, Caninium consulem horâ

septimâ, in reliquam diei partem renuntiaverat: quem quum plerique irent salutatum de more: «Festinemus, inquit Cicero, priusquam abeat magistratu.» De eodem Caninio scripsit Cicero: «Fuit mirificâ vigilantiâ Caninius, qui toto suo consulatu somnum non viderit.»

LXIII. MARCUS BRUTUS.

Ante J. C. 55; Anno U. C. 709.

Marcus Brutus ex illâ gente, quæ Româ Tarquinios ejecerat, oriundus, Athenis philosophiam, Rhodi eloquentiam didicit. Sua eum virtus valde commendavit. Ejus pater, qui Syllæ partibus adversabatur, jussu Pompeii interfectus fuerat; unde Brutus cum eo graves gesserat simultates: bello tamen civili Pompeii causam, quòd justior videretur, secutus est, et dolorem suum reipublicæ utilitati posthabuit. Victo Pompeio, Brutus à Cæsare servatus est, et prætor etiam factus. Postea quum Cæsar, superbiâ elatus, senatum contemnere, et regnum affectare cœpisset, populus jam, præsenti statu haud lætus, vindicem libertatis requirebat. Subscripsere quidam primi Bruti statuæ: *Utinam viveres!* Item, ipsius Cæsaris statuæ: *Brutus, quia reges ejecit, primus consul factus est; hic, quia consules ejecit, postremò rex factus est.* Inscriptum quoquè est Marci Bruti prætoris tribunali: *Dormis, Brute?*

Marcus Brutus, cognitâ populi Romani voluntate, adversùs Cæsarem conspiravit. Pridie quàm Cæsar est occisus, Porcia, Bruti uxor, consilii conscia, cultellum tonsorium, quasi unguium resecandorum causâ, poposcit, eoque, velut fortè è manibus elapso, se ipsa vulneravit. Clamore ancillarum vocatus in cubiculum uxoris, Brutus objurgare eam cœpit, quòd tonsoris officium præripere voluisset; at Porcia ei secretò dixit: «Non casu, sed de industriâ, mi Brute, hoc mihi vulnus feci: experiri enim volui an satis mihi animi esset ad mortem oppetendam, si tibi propositum ex sententiâ parum cessisset.» Quibus verbis auditis, Brutus ad cœlum manus et oculos sustulisse dicitur, et exclamavisse: «Utinam dignus tali conjuge maritus videri possim!

Interfecto Cæsare, Antonius vestem ejus sanguinolentam ostentans, populum veluti furore quodam adversùs conjuratos inflammavit. Brutus itaque in Macedoniam concessit; ibique, apud urbem Philippos, adversùs Antonium et Octavium dimicavit. Victus acie, quum in tumulum se nocte recepisset, ne in hostium manus veniret, uni comitum latus transfodiendum præbuit. Antonius, viso Bruti cadavere, ei suum injecit purpureum paludamentum, ut in eo sepeliretur. Quod quum postea subreptum audivisset, requiri furem, et ad supplicium duci jussit. Cremati corporis reliquias ad Serviliam, Bruti matrem, deportan-

das curavit. Non eadem fuit Octavii erga Brutum moderatio: is enim avulsum Bruti caput Romam ferri jussit, ut Caii Cæsaris statuæ subjiceretur.

LXIV. OCTAVIUS CÆSAR AUGUSTUS.

Ante J. C. 55; *Anno U. C.* 709.

Octavius, Juliæ, Caii Cæsaris sororis, nepos, patrem quadrimus amisit. A majore avunculo adoptatus, eum in Hispaniam profectum secutus est. Deinde ab eo Apolloniam missus est, ut liberalibus studiis vacaret. Auditâ avunculi morte, Romam rediit, nomen Cæsaris sumpsit, collectoque veteranorum exercitu, opem Decimo Bruto tulit, qui ab Antonio Mutinæ obsidebatur. Quum autem urbis aditu prohiberetur, ut Brutum de omnibus rebus certiorem faceret, primò litteras laminis plumbeis inscriptas misit, quæ per urinatorem sub aquâ fluminis deferebantur; ad id postea columbis usus est: iis nempe diù inclusis et fame affectis litteras ad collum alligabat, easque à proximo mœnibus loco emittebat. Columbæ, lucis cibique avidæ, summa ædificia petentes, à Bruto excipiebantur, maximè quum ille, disposito quibusdam in locis cibo, columbas illuc devolare instituisset.

Octavius bellum Mutinense duobus prœliis confecit; in quorum altero, non ducis modò, sed militis etiam functus est munere: nam aquilifero graviter vulnerato, aquilam humeris subiit, et in castra reportavit. Postea, reconciliatâ cum Antonio gratiâ, junctisque cum ipso copiis, ut Caii Cæsaris necem ulcisceretur, ad urbem hostiliter accessit; inde quadringentos milites ad senatum misit, qui sibi consulatum, nomine exercitûs, deposcerent. Cunctante senatu, centurio, legationis princeps, rejecto sagulo, ostendens gladii capulum, non dubitavit in curiâ dicere: «Hic faciet, si vos non feceritis.» Cui respondisse Ciceronem ferunt: «Si hoc modo petieritis Cæsari consulatum, auferetis.» Quod dictum ei deinde exitio fuit: invisus enim esse cœpit Cæsari, quòd libertatis esset amantior.

Octavius Cæsar, nondum viginti annos natus, consulatum invasit, novamque proscriptionis tabulam proposuit. Quæ proscriptio Syllanâ longè crudelior fuit: ne teneræ quidem ætati pepercit. Puerum quemdam, nomine Atilium, Octavius coegit togam virilem sumere, ut tanquam vir proscriberetur. Atilius, protinus ut è Capitolio descendit, deducentibus ex more amicis, in tabulam relatus est. Desertum deinde à comitibus, ne mater quidem præ metu recepit: puer itaque fugit, et in sylvis aliquandiu delituit. Quum verò inopiam ferre non posset, è latebris exivit, seque prætereuntibus indicavit, à quibus interfectus est. Alius puer etiam impubes, dum in ludum litterarium iret, cum pædagogo, qui pro eo corpus objecerat, necatus est.

Octavius, initâ cum Antonio societate, Marcum Brutum, Cæsaris interfectorem, bello persecutus est. Quod bellum, quanquam æger atque invalidus, duplici prælio transegit; quorum priore castris exutus, vix fugâ evasit; altero victor, se gessit acerbiùs. In nobilissimum quemque captivum sæviit, adjectâ etiam supplicio verborum contumeliâ. Uni suppliciter precanti sepulturam respondit, jam illam in volucrum atque ferarum potestate futuram. Ambo erant captivi pater et filius; quum autem Octavius nollet, nisi uni, vitam concedere, eos sortiri jussit utri parceretur. Pater, qui se pro filio ad mortem subeundam obtulerat, occisus est; nec servatus filius, qui præ dolore voluntariâ occubuit nece. Neque ab hoc tristi spectaculo oculos avertit Octavius, sed utrumque spectavit morientem.

Octavius ab Antonio iterum abalienatus est, quòd is, repudiatâ Octaviâ sorore, Cleopatram, Ægypti reginam, duxisset uxorem; quæ mulier cum Antonio luxu et deliciis certabat. Gloriata est aliquando se centies sestertiùm unâ cœnâ absumpturam. Antonio, id fieri posse neganti, magnificam apposuit cœnam, sed non tanti sumptûs quanti promiserat. Irrisa igitur ab Antonio, jussit sibi afferri vas aceto plenum: exspectabat Antonius quidnam esset actura. Illa gemmas pretiosissimas auribus appensas habebat: protinus unam detraxit, et aceto dilutam absorbuit. Alteram quo jùs simili modo parabat absumere, nisi prohibita fuisset.

Octavius cum Antonio apud Actium, qui locus in Epiro est, navali prælio dimicavit. Victum et fugientem Antonium persecutus, Ægyptum petiit; obsessâque Alexandriâ, quò Antonius cum Cleopatrâ confugerat, brevì potitus est. Antonius, desperatis rebus, quum in solio regali sedisset, regio diademate cinctus, necem sibi conscivit. Cleopatra verò, quam Octavius magnopere cupiebat vivam comprehendi triumphoque servari, aspidem sibi in cophino inter ficus afferendam curavit, eamque ipsa brachio applicuit: quod ubi cognovit Octavius, medicos vulneri remedia adhibere jussit. Admovit etiam psyllos, qui venenum exsugerent; sed frustra: Cleopatræ mortuæ communem cum Antonio sepulturam tribuit.

Tandem Octavius, hostibus victis, solusque imperio potitus, clementem se exhibuit. Omnia deinceps in eo plena mansuetudinis et humanitatis. Multis ignovit, à quibus sæpe graviter læsus fuerat: quo in numero fuit Metellus, unus ex Antonii præfectis. Quum is inter captivos senex squalidus sordidatusque processisset, agnovit eum filius ejus, qui Octavii partes secutus fuerat, statimque exsiliens, patrem complexus, sic Octavium allocutus est: «Pater meus hostis tibi fuit; ego miles: non magis ille pœnam, quàm ego præmium, meriti sumus. Aut igitur me propter illum occidi jube, aut illum propter me vivere. Delibera, quæso, utrùm sit moribus tuis convenientius.» Octavius, postquam paulùm ad-

dubitavisset, misericordiâ motus, hominem sibi infensissimum propter filii merita servavit.

Octavius in Italiam rediit, Romamque triumphans ingressus est. Tum bellis toto orbe compositis, Jani gemini portas suâ manu clausit, quæ tantummodo bis antea clausæ fuerant, primò sub Numâ rege, iterum post primum Punicum bellum. Tunc omnes præteritorum malorum oblivio cepit, populusque Romanus præsentis otii lætitiâ perfruitus est. Octavio maximi honores à senatu delati sunt. Ipse *Augustus* cognominatus est, et in ejus honorem mensis sextilis eodem nomine est appellatus, quód illo mense bellis civilibus finis esset impositus. Equites Romani natalem ejus biduo semper celebrârunt; senatus populusque Romanus universus cognomen *patris patriæ* maximo consensu ei tribuerunt. Augustus præ gaudio lacrymans respondit his verbis: «Compos factus sum votorum meorum; neque aliud mihi optandum est quàm ut hunc consensum vestrum ad ultimum vitæ finem videre possim.»

Dictaturam, quam populus magnâ vi offerebat, Augustus, genu nixus, dejectâque ab humeris togâ, deprecatus est. *Domini* appellationem semper exhorruit, eamque sibi tribui edicto vetuit. Imò de restituendâ republicâ non semel cogitavit; sed reputans et se privatum non sinè periculo fore, et rempublicam plurium arbitrio commissum iri, summam retinuit potestatem, id verò studuit ne quem novi statûs pœniteret. Bene de iis etiam quos adversarios expertus fuerat et sentiebat et loquebatur. Legentem aliquando unum è nepotibus invenit; quumque puer territus volumen Ciceronis, quod manu tenebat, veste tegeret, Augustus librum cepit, eoque statim reddito: «Hic vir, inquit, fili mi, doctus fuit et patriæ amans.»

Pedibus sæpe per urbem incedebat, summâque comitate adeuntes excipiebat: unde quum quidam libellum supplicem porrigens, præ metu et reverentiâ nunc manum proferret, nunc retraheret: «Putasne, inquit jocans Augustus, assem te elephanto dare?» Eum aliquando convenit veteranus miles, qui vocatus in jus periclitabatur, rogavitque ut sibi adesset: statim Augustus unum è comitatu suo elegit advocatum, qui litigatorem commendaret. Tum veteranus exclamavit: «At non ego, te periclitante bello Actiaco, vicarium quæsivi, sed ipse pro te pugnavi;» simulque detexit cicatrices. Erubuit Augustus, atque ipse venit in advocationem.

Quum, post Actiacam victoriam, Augustus Romam ingrederetur, occurrit ei inter gratulantes opifex quidam corvum tenens quem instituerat hæc dicere: «Ave, Cæsar, victor, imperator.» Augustus avem officiosam miratus, eam viginti millibus nummorum emit. Socius opificis, ad quem nihil ex illâ liberalitate pervenerat, affirmavit Augusto illum habere et alium corvum, quem afferri postulavit. Allatus corvus

verba quæ didicerat expressit: *Ave, Antoni, victor, imperator.* Nihil eâ re exasperatus Augustus jussit tantummodò corvorum doctorem dividere acceptam mercedem cum contubernali. Salutatus similiter à psittaco, emi eum jussit.

Exemplo incitatus, sutor quidam corvum instituit ad parem salutationem; sed, quum parum proficeret, sæpe ad avem non respondentem dicebat: «Opera et impensa periit.» Tandem corvus cœpit proferre dictatam salutationem: quâ auditâ dum transiret, Augustus respondit: «Satîs domi talium salutatorum habeo.» Tum corvus illa etiam verba adjecit, quibus dominum querentem audire solebat: «Opera et impensa periit.» Ad quod Augustus risit, atque avem emi jussit quanti nullam adhuc emerat.

Solebat quidam Græculus descendenti è palatio Augusto honorificum aliquod epigramma porrigere. Id quum frustra sæpe fecisset, et tamen rursum eumdem facturum Augustus videret, suâ manu in chartâ breve exaravit græcum epigramma, et Græculo venienti ad se obviàm misit. Ille legendo laudare cœpit, mirarique tam voce quàm vultu gestuque. Dein quum accessit ad sellam quâ Augustus vehebatur, demissa in pauperem crumenam manu, paucos denarios protulit, quos principi daret; dixitque se plus daturum fuisse, si plus habuisset. Secuto omnium risu, Græculum Agustus vocavit, eique satîs grandem pecuniæ summam numerari jussit.

Augustus ferè nulli se invitanti negabat. Exceptus igitur à quodam cœnâ satîs parcâ et penè quotidianâ, hoc tantùm insusurravit: «Non putabam me tibi esse tam familiarem.» Quum aliquando apud Pollionem quemdam cœnaret, fregit unus ex servis vas crystallinum: rapi illum protinus Pollio jussit, et, ne vulgari morte periret, abjici murænis, quas ingens piscina continebat. Evasit è manibus puer, et ad pedes Cæsaris confugit, non recusans mori, sed rogans ne piscium esca fieret. Motus novitate crudelitatis Augustus, servi infelicis patrocinium suscepit. Quum autem veniam à viro crudeli non impetraret, crystallina vasa ad se afferri jussit; omnia manu suâ fregit; servum manumisit, piscinamque compleri præcepit.

Augustus in quâdam villâ ægrotans noctes inquietas agebat, rumpente somnum ejus crebro noctuæ cantu. Quâ molestiâ quum liberari se vehementer cupere significasset, miles quidam, aucupii peritus, noctuam prehendendam curavit, vivamque Augusto attulit, spe ingentis præmii. Cui Augustus mille nummos dari jussit. At ille minùs dignum præmium existimans, dicere ausus est: «Malo ut vivat,» et avem demisit. Imperatori nec ad irascendum causa deerat, nec ad ulciscendum potestas: hanc tamen injuriam æquo animo tulit Augustus, hominemque impunitum abire passus est.

Augustus amicitias non facilè admisit, et admissas constanter retinuit. Imprimis familiarem habuit Mæcenatem, equitem Romanum; qui eâ, quâ apud principem valebat, gratiâ ita semper usus est ut prodesset omnibus quibus posset, noceret nemini. Mira erat ejus ars et libertas in flectendo Augusti animo, quum eum irâ incitatum videret. Jus aliquando dicebat Augustus, et multos morte damnaturus videbatur: aderat tunc Mæcenas, qui circumstantium turbam perrumpere, et ad tribunal propiùs accedere conatus est. Quum id frustra tentasset, in tabella scripsit hæc verba: *Surge, tandem, carnifex*; eamque tabellam ad Augustum projecit. Quâ lectâ, Augustus statim surrexit, et nemo est morte mulctatus.

Habitavit Augustus in ædibus modicis, neque laxitate neque cultu conspicuis, ac per annos ampliùs quadraginta in eodem cubiculo hieme et æstate mansit. Supellex quoquè ejus vis privatæ elegantiæ erat. Idem tamen Romam, quam pro majestate imperii non satis ornatam invenerat, adeò excoluit ut jure sit gloriatus marmoream se relinquere, quam lateritiam accepisset. Rarò veste aliâ usus est quàm confectâ ab uxore, sorore, filia, nepotibusque. Altiuscula erant ejus calceamenta, ut procerior, quàm erat, videretur. Cibi minimi erat atque vulgaris: secundarium panem, et pisciculos minutos et ficus virides maximè appetebat.

Augustus non ampliùs quàm septem horas dormiebat, ac ne eas quidem continuas, sed ita ut in illo temporis spatio ter aut quater expergisceretur. Si interruptum somnum recuperare non posset, lectores arcessebat, donec resumeret. Quum audisset senatorem quemdam, licet ære alieno oppressum, arctè et graviter dormire solitum, culcitam ejus magno pretio emit. Mirantibus dixit: «Habenda est ad somnum culcita, in quâ homo, qui tantùm debebat, dormire potuit.»

Exercitationes campestres equorum et armorum statim post bella civilia omisit, et ad pilam primò folliculumque transiit: mox animi laxandi causâ, modò piscabatur hamo, modò talis nucibusque ludebat cum pueris minutis, quos facie et garrulitate amabiles undique conquirebat. Aleâ multum delectabatur; idque ei vitio datum est. Tandem afflictâ valetudine, in Campaniam concessit, ubi, remisso ad otium animo, nullo hilaritatis genere abstinuit. Supremo vitæ die, petito speculo, capillum sibi comi jussit, et amicos circumstantes percontatus est num vitæ mimum satis commodè egisset; adjecit et solitam clausulam: «Edite strepitum, vosque omnes cum gaudio applaudite.» Obiit Nolæ, sextum et septuagesimum annum agens.

Post J. C. 14; *Anno U. C.* 766.

FINIS.

APPENDIX

DE DIIS ET HEROIBUS.

PARS PRIMA.

DE MAJORIBUS ET MINORIBUS ETHNICORUM DIIS.

CAPUT I.

SATURNUS.

Deorum antiquissimus habebatur Cœlum. Duo ejus filii celebrantur à poetis: Tempus sive Saturnus, et Titanus. Hic, etsi priore loco genitus foret, eique proinde imperium orbis deberetur, jus tamen suum remisit concessitque Saturno, rogante Vestâ matre, sed eâ tamen lege, ut Saturnus masculam prolem educaret nullam. His ita constitutis, Saturnus mares statim editos devorabat, invitâ vehementer uxore, quæ, uno partu Jovem et Junonem enixa, solam Junonem ostendit Saturno, Jovem occultavit. Sensit dolum Titanus, ac Saturnum, acie victum, in vincula conjecit. Is liberatus postea fuit per Jovem filium suum, à quo Titanes, bellum pro Titano patre redintegrantes, fuere profligati. Saturnus, vinculis liberatus, quum in fatis esse cognovisset futurum ut ab eodem Jove regno spoliaretur, illi struxit insidias, ac bellum etiam indixit [1]. Jupiter debellatum patrem cœlo expulit.

Saturnus, amisso cœlo, in eam Italiæ partem ubi Roma condita postmodum est, venit quæ *Latium* fuit appellata, quòd ibi latuisset. Extorrem deum Janus, Latii rex, benignè accepit, ac vicissim á Saturno donatus est insigni prudentiâ, cujus ope meminerat præterita, futura prospiciebat; unde *biceps* seu *bifrons* appellatur. Eo regnante, mores optimi artesque viguerunt, quæ illi ætati nomen aureæ fecerunt. Saturni festa dicebantur *Saturnalia*, et decembri mense celebrata sunt per dies primò tres, deinde quatuor, tum quinque, ac plures. Per eos

1 Ovidius, *Metamorph.* lib. 1.

dies senatus non habebatur, vacabant scholæ, munera ultro citròque mittebantur ab amicis; de sontibus supplicium sumere, ac bellum indicere, nefas; servis mensæ accumbentibus ministrabant domini, et servorum vicem implebant, ad refricandam videlicet memoriam pristinæ, quæ florebat Saturno regnante, libertatis, quum nemo serviret.

Janus, de quo proximè facta mentio est, pingebatur cum clavi et virgâ. Virgam gerebat, quasi viarum præses; clavim, quia domorum januas et seras invenisse credebatur. Ab eo *januarius* mensis duxit nomen. Aræ duodecim eidem ponebantur pro numero mensium; utque sunt anni tempestates quatuor, ita quatuor ipsi frontes aliquando datæ. In omnibus sacrificiis appellabatur primo loco, quippe qui primus aras et sacrorum ritus instituisset. Ejus templum Romæ claudebatur pace compositâ, patebat flagrante bello.

CAPUT II.

CYBELE.

Cybele, Saturni uxor, varia sortitur apud poetas nomina: *Dindymene* vocatur, *Berecynthia* et *Idæa*, à montibus Phrygiæ Dindymo, Idâ et Berecyntho, ubi præcipuè colebatur; *Magna Mater*, quia, dii plurimi maximique ex eâ nati; *Ops* et *Tellus*, quia, ut Saturnus cœlo, sic illa terræ præerat, opemque mortalibus ferebat; *Rhea*, quia è terrâ fluunt omnia et gignuntur. Dicta quoque *Vesta* reperitur; vulgò tamen Vesta Saturni mater, non conjux, ponitur. Itaque duas aliqui Vestas constituunt: unam Cœli conjugem, et matrem Saturni; alteram juniorem, et Saturni uxorem. Seniorem eamdem esse cum Cybele ac Tellure censent.

Pingebatur illa sedens, quia terra stat, suis librata ponderibus; tympanum gerebat manu, quia terra ventos in sinu continet, qui erumpunt indè cum fragore. Aderant circùm belluæ. Curru vehebatur, quem trahebant leones. Caput floribus plantisque, sæpiùs coronâ, è turribus et murorum pinnis conflatâ, cingebatur. Junior Vestâ igni præerat, eique aram Numa Pompilius consecravit, et ignem in arâ perpetuum foveri jussit, cujus alendi curam virginibus *Vestalibus* demandavit. Si casu exstingueretur, indicebatur justitium, et publica privataque negotia intermittebantur, donec prodigium illud infaustum expiatum fuisset; si Vestalium incuriâ, graviter in eas animadvertebatur. Quotannis renovabatur ignis ille calendis martiis, petitâ non ab igne alio, sed à sole, flammâ.

Cybeles festa *Megalesia* vocabantur. Sacerdotes dicebantur *Galli* à Gallo, Phrygiæ fluvio, cujus aquâ epotâ, in rabiem versi lacerabant se cultris, caput rotabant, et adversis frontibus inter se velut arieta-

bant; unde illis etiam *Corybantes* nomen fuit. Tondebant iidem comam in priori capitis parte. Stolâ muliebri erant induti. Jovem in Cretâ insulâ aluerant; quas ob causas *Curetes* pariter dictos volunt. Denique reperiuntur appellati sæpè *Dactyli*, *Idæi*: *Dactyli* quidem (quæ vox græca digitos significat), quia decem, quot in manibus digiti, erant; vel quòd, instar digitorum, quibus manus ambæ utuntur, divæ præstò essent ad omne sacrorum obsequium; *Idæi* verò, quia Idam, Phrygiæ montem, incolebant. Sacra Cybeles celebrabant inconditis clamoribus, fistulis, tibiis ac tympanis percrepantibus. Romæ à feminis fiebant eadem in templo ac loco secreto, quod *opertum* nuncupabant, exclusis viris.

CAPUT III.

CERES ET DEUS TERMINUS.

Saturni et Opis, seu Cybeles, filia Ceres fuit, dea frugum et inventrix frumenti. Quamobrem cum spiceâ coronâ pingitur, et plenis uberibus, ex quo *Mammosæ* et *Almæ* nomen est adepta, quòd omnes alat. Facem gestabat, quia filiam Proserpinam à Plutone raptam diu quæsivit [2]. Quumque somnum præ mœrore capere non posset, ei papaver edendum præbuisse Jupiter dicitur, cujus ea vis est ut somnum conciliet. Hinc papavera manu tenebat. Usa est Triptolemo adjutore ad monstrandam hominibus serendi artem [3]. Erat hic Eleusini regis, apud quem Proserpinam Ceres quærens diverterat, filius. In eodem oppido Eleusi cœpta sunt primùm peragi Cereris sacra, *Eleusina* dicta. In iis incredibile servabatur silentium, ac summum nefas putabatur ex illis aliquid evulgare. Alia duo Cereris festa memorantur in scriptoribus antiquis: *Thesmophoria*, quia Ceres Atheniensibus leges descripserat; et *Ambarvalia*, instituta ad fertilitatem et ubertatem impetrandam arvis, quæ tunc ambiebantur à supplicantibus, unde festo nomen. Vinum ab aris Cereris amovebatur. Immolabatur illi porcus, quia fruges et sata rostro eruit. Agrorum limitibus præerat deus Terminus; ejus festa *Terminalia* dicebantur.

Cererem in Græciâ regnasse divus Augustinus tradit, artemque agros colendi tradidisse, ac per eam factum ut Græcia suis frugibus uteretur, quum antea frumento aliunde importato vixisset.

CAPUT IV.

JUPITER.

Jupiter, Saturni et Cybeles filius, postquam patrem egisset in fugam, regnum mundi cum fratribus ita divisit, ut cœlum sibi vindica-

2 Ovid., *Metamorph.* lib. v. — 3 *Metamorph.* lib. v.

ret, aquas Neptuno, inferos Plutoni regendos permitteret. Non diù tranquillum regnum habuit. Tellus enim, Titani uxor, dolens filios suos Titanas à Jove interfectos, Gigantes procreavit, mole viribusque spectandos; qui, congestis in cumulum montibus, Jovem cœlo detrudere aggressi sunt [4]. Sed fulminibus dejecti, et suis obtriti montibus, pœnas Jovi dedêre. Vocati ab illo in belli et periculi partem dii, quum se imparem unum tot hostibus crederet, sic Gigantum conspectu perterrefacti sunt, ut omnes in Ægyptum fugerint, ibique sub variis animantium formis latuerint [5]. Hinc factum ut belluas Ægyptii colerent pro numinibus.

Bacchus tamen, specie leonis indutus, rem strenuè aliquantisper gessit, hortante Jove, et *Evoe* [6], id est *Euge*, *fili*, ingeminante.

Jupiter, pacatum adeptus regnum, curam ad formandos homines contulit. Eum imitatus Prometheus finxit statuas quasdam hominum ex argillâ, illasque, rapto è curru solis igne, animavit [7]. Promethei temeritatem indignè ferens Jupiter, negotium Vulcano dedit ut eum in Caucaso monte religaret, addidit vulturem, qui laniaret viscera in novos cruciatus renascentia. Severitatem Jovis iniquè tulerunt ceteri dii, ac doluerunt quòd sibi uni formandorum hominum jus arrogaret. Quare, collatis studiis et muneribus, mulierem effinxere, quam *Pandoram* appellârunt, quasi ex omnium donis conflatam. Jupiter, Superùm arrogantiam ulturus, illi capsulam dedit, infelix munus: in eam quippe congesta erant omnia naturæ mala. Hanc Pandora quum detulisset ad Epimetheum, Promethei fratrem, ille, impulsus curiositate pravâ, sive, ut alii narrant, ejus uxor, capsulam aperuit; ex câque pestes omnis generis in orbem terrarum evolârunt, solâ spe in fundo capsulæ relictâ. Hinc ætas ferrea et scelerum colluvies nata est.

Jovem non unum in Cretâ regnasse doctorum opinio est; omnium celeberrimum Abrahamo supparem Eusebius facit. Patrem spoliavit regno, quod ita cum suis fratribus Neptuno et Plutone divisit, ut ipsi regiones ad ortum sitæ, Plutoni occidua pars insulæ, Neptuno maritimi tractus obvenerint. Hinc Jupiter cœli, Neptunus maris, Pluto inferorum rex numenque dictus est. Jovis nomine apud poetas aer ut plurimùm significatur, sive cœlum; ut nomine Junonis, quæ Jovis conjux, terra; quia è cœlo terrâque omnia gignuntur. Ejusdem Jovis varia sunt apud scriptores profanos nomina; hæc frequentiora: *Diespiter* vocatur, quasi diei pater; *Feretrius*, vel quòd hostes feriret, vel quòd in ejus templum ferrentur opima spolia; *Stator* (ita est à Romulo dictus) quòd

4 Ovid. *Metamorph.* lib. I et XIV. — 5 *Metamorph.* lib. V. — 6 Εὖ, *viva Baco*; *bien para Baco.* — 7 *Metamorph.* lib. I.

Romanorum contra Sabinos pugnantium fugam stiterat; *Xenius* sive *Hospitalis*, quia gerebat hospitum curam; *Vejovis* et *Vedius* tunc appellabatur, quum rogabatur ne quid inferret mali; et inter sinistra noxiaque numina censebatur. Factæ voces istæ sunt ex interjectione *væ*, quæ mali ominis, et duplici genitivo, altero græco, altero latino, Jovis et Διός (Dios).

CAPUT V.

JUNO.

Juno, Jovis soror et conjux, matrimoniis præerat, ac partubus feliciter edendis; tumque *Pronuba*, *Lucina* et *Ilithyia* nominabatur [8]. Ejus filia Hebe, juventutis dea, nectar Jovi tandiu miscuit, dum ejus locum Ganymedes, à Jove in aquilam mutato raptus, occupavit [9]. Edidit etiam Juno Martem, belli armorumque præsidem, cujus soror Bellona sive Enyo; denique Vulcanum, sed distortum et informem. Horruit partum degenerem Jupiter, et calce in terras dejecit. Vulcanus, crure inter cadendum fracto, claudus remansit.

Jupiter, ut infortunium hoc solaretur, illum præfecit fabricandis fulminibus. Officinæ Vulcani, Lemnos, Lipara, Ætna; adjutores et administri fuere *Cyclopes*, ita dicti, quòd unum in fronte mediâ oculum haberent. Cæterùm offensus Jupiter et arrogantiâ Junonis, et postremo partu, eam fastidire atque alias amare cœpit. Imò Palladem, è fecundo capite productam, bello pariter præesse litterisque voluit. Vulgò tamen, quum litterarum est præses, *Minerva* nuncupatur. Olea ipsi dicata erat, pacis insigne: nam et pace gaudent litteræ, et belli finis præmiumque pax esse debet [10]. Ab Atheniensibus præcipuè culta fuit.

Interim Juno, maritum in pellicum amores turpiter effusum observans, illi custodem apposuit centum oculis præditum, *Argum* nomine. Molestum observatorem Jupiter, operâ Mercurii, obtruncavit [11]. Ejus oculos Juno indidit pavonis caudæ. Argum ipsum, ut alii volunt, in pavonem mutavit. Junonis famula et nuntia Iris fuit, quàmvis operam aliquando Jovi, cæterisque diis navaret. De Marte, addo illum *Gradivum* appellari solitum, quando sæviebat: *gradior* enim propriè de militibus in aciem procurrentibus dicitur; *Quirinum* verò, quum tranquillus et mitis erat, sumpto nomine à Sabino vocabulo, *Curis* seu *Quiris*, quod hastam significat. Id nominis Romulo quoque, Martis filio, tributum est. Salii, Martis sacerdotes, urbem obibant saltando, et *ancilia* (clypeos sacros) circumferendo.

8 Ovid., *Metamorph.* lib. IX. — 9 *Metamorph.* lib. IX et X. — 10 *Metamorph.* lib. VI. — 11 *Metamorph.* lib. X.

CAPUT VI.

APOLLO.

Jupiter, spretâ Junone, Latonam adamavit, ex eâque suscepit Apollinem et Dianam. Priusquam in lucem ederentur, Juno Terram obsecravit, ut nullum Latonæ, ubi consistere posset ac parere, locum relinqueret [12]. Promisit Terra excludendam omnibus locis Latonam, præterquam ab insulâ Delo, quæ tunc fluitabat incerto mari, ac ferè semper fluctibus erat obruta. Sed Neptunus, Latonam miseratus, Delum stabilem reddidit, ac jussit emergere. Hinc Apollo *Delii* cognomen est nactus ab insulâ natali. Ejus filius Æsculapius, quum artem medicam à patre et Chirone centauro didicisset, tantùm in eâ profecit, ut Hippolytum, Thesei filium, à monstris marinis discerptum, ad vitam revocaret [13]. Quo facto Jupiter, auctoritatem suam lædi ratus, Æsculapium fulmine percussit. Apollo vicissim Cyclopes, fulminis fabricatores, quoniam sævire in Jovem ipsum non poterat, interemit. Exarsit iracundiâ gravi Jupiter, et Apollinem cœlo pulsum, divinitate per aliquot annos spoliavit.

Redactus in ordinem Apollo, multis incommodis afflictatus est; ac, ne periret fame, operam suam locavit Admeto, Thessaliæ regi, cujus greges pascendos accepit [14]. Hinc deus pastorum habitus fuit, eique immolabatur lupus, ovium pestis. Armenta sic pascentem aliquando vidit Mercurius, eique vaccam dolo subripuit; mox ipsam ejusdem humeris furtim pharetram detraxit. Daphne in laurum ab eo mutata fuit [15]. Hyacinthus, quem disco imprudens colludentem interemerat, in florem cognominem mutatus est [16]. At Hyacinthi parentes Apollinem, ut pœnas expeterent, insecuti, fugere coegerunt in Troadem, ubi incidit in Neptunum, cœlo pariter exsulantem, irato Jove, in quem cum diis aliquot conjuraverat. Ambo ad Laomedontem, qui Trojam tunc ædificabat, confugiunt, ac pacto pretio navant operam construendis Trojæ mœnibus [17]. Quum promissam mercedem negaret Laomedon, conspirârunt in perjurum regem, ejusque civitatem Neptunus immissis aquis evertit magnâ ex parte; Apollo pestilentiâ regionem devastavit. Tot malis remedium quæsivit Laomedon. Oraculo consulto, responsum est placandos Apollinem ac Neptunum, objectâ monstris marinis trojanâ quotannis virgine. Sors Hesionen, regis ipsius filiam, neci addixerat. Hercules ita se liberaturum illam spopondit, si Laomedon quosdam

12 Ovid., *Metamorph.* lib. vi. — 13 *Metamorph.* lib. ii et xv. — 14 *Metamorph.* lib. ii. — 15 *Metamorph.* lib. i. — 16 *Metamorph.* lib. x. — 17 *Metamorph.* lib. xi.

insignes equos sibi daret [18]. Promisit rex; at, liberatâ filiâ, monstris abactis et interfectis, Herculem indonatum irrisumque valere jussit. Hercules, justo furore percitus, obsedit urbem, cepit, ac regem interfecit.

Interea, mitigatus Jupiter, cœlum Apollini ac divinitatem reddidit. Apollo pristinum decus non modò recuperavit, sed magnâ etiam accessione cumulavit. Nam in cœlo lucis orbi dividendæ munus recepit, quod antea gerebat; etsi provinciam hanc aliquot poetæ tribuant uni è Titanibus, quem *Titana* et *Hyperionem* dixerunt. Hunc alii Solis ipsius patrem faciunt. Solem Ægyptii *Horum* appellabant; Persæ, *Mithram*. In terris verò edere cœpit oracula, præsertim Delphis, ubi sacerdos responsa dabat, insidens cortinæ sive tripodi, tecto pelle serpentis Pythonis, olim ab Apolline interfecti [19]. Præterea invenit artem canendi, et Marsyam satyrum, à quo fuerat provocatus, vinctum cantando, exuit pelle [20]. Eamdem canendi artem et poesim docuit Musas, Jovis et Mnemosynes filias. Novem recensentur: Calliope, Clio, Erato, Thalia, Polyhymnia, Urania, Melpomene, Terpsichore, Euterpe. Parnassum unà cum Apolline incolebant [21]. Inter Apollinis filios celebratur Phaethon, qui paternum currum, temerè expetitum, quum malè regeret, à Jove percussus, et in Eridanum deturbatus est. Ejus sorores Heliades in populos mutatæ [22].

Inter Apollinis liberos nonnulli numerant Auroram. Hæc Tithonum, Laomedontis filium, habuit in matrimonium, eique immortalitatem à Jove impetravit; nec tamen obtinere potuit ne senesceret. Itaque, senio fractus, in cicadam ut mutaretur exoravit. E Tithono genuit Aurora Memnonem, qui Priamo suppetias, in trojano bello, tulit. Ab Achille interfectus, à matre diuturnis lacrymis, quæ rorem effecere, deploratus est, et ex ejus rogo natæ sunt aves dictæ *Memnonides* [23]. Illi statuam Ægyptii posuerant, quæ, solis orientis primoribus radiis icta, sonum canoræ voci similem edere jactabatur.

CAPUT VII.

DIANA.

Diana, soror Apollinis, eadem in cœlo *Luna*, in terris *Diana*, in inferis *Hecate*, dicebatur. Hinc *triformis diva*, *triceps Hecate*, à poetis nuncupatur. Venationi præsertim addicta, venatoribus præfuit. Eadem virginitatem perpetuò coluit, et Actæonem venatorem, quòd in eum,

18 Ovid., *Metamorph.* lib. xi. — 19 *Metamorph.* lib. i. — 20 *Metamorph.* lib. vi. — 21 *Metamorph.* lib. i. — 22 *Metamorph.* lib. ii. — 23 *Metamorph.* lib. xii.

ubi se cum nymphis lavabat, locum imprudens venisset, mutavit in cervum [24]. Insigne templum habuit Ephesi, et inter septem orbis miracula numeratum; aram quoquè in tauricâ Chersoneso, ad Pontum Euxinum, in quâ ipsi homines immolabantur, præsertim si qui naufragio ad istas oras ejecti fuissent.

CAPUT VIII.

BACCHUS.

Jupiter è Semele suscepit Bacchum, quem narrant, quum ante tempus in lucem exiisset, insertum fuisse Jovis femori, donec menses legitimi partùs implerentur [25]. Ætate provectior peragravit orbem terrarum, deque Indiâ triumphavit. Invenisse vinum fertur, eique caper immolabatur, quia vitium gemmas arrodit. Primus etiam aratro boves subjunxisse memoratur; quam ob causam ejus capiti affiguntur cornua, quæ pariter indicant robur et audaciam ebriosis familiarem. Sacra illi quoquè hedera, quia vini fumos nativo frigore discutere creditur. Eâ involutum et pampinis jaculum gestabat, quem *thyrsum* vocabant. Eodem instructæ feminæ, sparsis comis ululantes, sacra Bacchi celebrabant: *Trieterica* illis nomen, quia tertio quoque anno recurrebant; et *Orgia*, ob furorem quo istæ Bacchantes, pellibus tigridum et pantherarum indutæ, nonnunquam armatæ facibus, per invios montes vagabantur, præsertim in Thraciâ [26].

Præter illius nomina, quæ exposuimus [27], vocabatur etiam *Dionysius*, à Nysâ, ubi regnavit, vel à Nyseis nymphis, à quibus educatus est. Apud Latinos vulgò *Liber* dicebatur, quia ebrio liberius nihil, nihil ab omni curâ solutius. Huic nomini respondet græcum *Lycæus*. Hinc ejus festa vocabantur apud Græcos *Dionysia*; apud Latinos verò *Liberalia* sive *Bacchanalia*. Peculiaria quædam celebrabantur in Atticæ pagis, *Ascolia* nuncupata, quæ vox utrem significat. Statuebant itaque utres hircinos in prato inflatos, et oleo inunctos. Saltabant per hos rustici unico tantùm pede; nam alterum erectum et in aere libratum habebant. Qui cadebant (quod proprio vocabulo *cernuare* dictum est à Romanis, eadem subinde festa imitatis) risu agresti coronæ et cachinnis excipiebantur.

Sunt qui adumbratum in Baccho fuisse velint Membrodum, qui hebræâ voce Bacchus, id est Chusi filius, appellatur. Sunt qui Moysem in eo expressùm pugnent, ac multa proferant à poetis attributa Baccho, quæ planè in Moysem quadrant. Plerique omnes Noemum in eo de-

24 Ovid., *Metamorph.* lib. III. — 25 *Metamorph.* lib. IV. — 26 *Metamorph.* lib. IV et XI. — 27 *Metamorph.* lib. IV.

pictum censent, satorem vitis ac vini, sive monstratorem, sive reparatorem. In eam sententiam explicant quæ poetæ de Baccho tradunt; nempe à Naiadibus, fontium nymphis præsidibus, educatum fuisse, ut vinum aquâ temperandum doceret. Pingunt eumdem puerili semper vultu, quia ebrii puerorum simillimi sunt; nudum, quia nullum ebrio arcanum est. Furiosos comites illi addunt, tigres ejus currui subjungunt, quia vinum, excusso rationis imperio, intemperantes irâ et furore incendit, ac belluis simillimos reddit.

CAPUT IX.

MERCURIUS.

Mercurius, Maiâ genitus, Atlantis filiâ, Jovis et deorum interpres fuit ac nuntius. Itaque alas in capite et pedibus habebat, quò expeditior esset ad mandata superûm perferenda; caduceum verò in manu [28]. Mercurium narrant incidisse aliquando in duos angues inter se dimicantes, utrumque diremisse, interpositâ virgâ quam tenebat manu. Indè factum ut virgam, gemino angue circumfuso insignem, gestaret, caduceusque pacis esset ac fœderis symbolum. Quia deorum minister et nuntius erat Mercurius, inditum illi quoquè fuit *Camilli* nomen, quo nomine pueros ac sacrificiorum præsertim administros antiqui vocare consueverant.

Mercurii nomen invenit ex mercibus, et mercaturâ, cui præerat. Alterum Mercurii munus erat animas mortuorum ad inferos deducere, ex iisque, quum res ferebat, revocare; tertium, fures adjuvare. Idem palæstræ et eloquentiæ laude florebat, ac sæpè pingebatur cum aureis catenis ex ore defluentibus, quibus audientes devinciebat. Hinc *Hermes* apud Græcos appellatus, sive *Dionysus*, à Jove, ipsius patre, et ab urbe est. Ejus statuæ apud Romanos in triviis et compitis, ut iter ostenderent, locabantur, erantque manibus captæ ac pedibus, et *Hermæ* vocabantur. Iidem Romani solebant Mercurii ac Minervæ statuas jungere, et eidem quasi trunco imponere. *Hermathenas* vocitabant: item Cupidinis ac Mercurii, et *Hermerotes* dicebantur.

CAPUT X.

VENUS.

Veneris mater Dione fuit; filius, Cupido, item Priapus, hortorum, et Hymenæus, nuptiarum præses; denique Æneas; filiæ verò, Charites sive Gratiæ tres, Aglaia, Thalia et Euphrosyne. Colebatur præsertim

28 Ovid., *Metamorph.* lib. II.

Amathunte, Cytheris, Paphi. *Astarte*, Sidoniorum dea, non alia fuisse quàm Venus ab eruditis creditur. Additur aliquando Veneri comes *Pitho* sive *Suada*, eloquentiæ dea. Currum Veneris trahebant columbæ, cycni aut passeres. Magistra impudicitiæ ferebatur, ut ne puderet miseros mortales se in cœno libidinum volutare, qui deos ad hæc flagitia duces hortatoresque sibi fecissent.

CAPUT XI.

NEPTUNUS.

Neptunus, Jovis frater, maris imperium sortitus est. Illi pro sceptro, tridens; pro curru, ingens concha; pro equis, *hippocampi* sive equi marini, bipedes tantùm, postremâ corporis parte in piscium caudam desinente; pro satellitibus Tritones erant. Uxor ejus Amphitrite; filiæ, Harpyiæ [29]. Oceanus, Neptuni filius, pater fluviorum, Tethyn uxorem duxit, ex quâ Nereum et Doridem suscepit. E Nereo et Doride prognatæ sunt Nymphæ, quarum aliæ vocabantur *Nereides*, quæ mari; *Naiades*, quæ fontibus et fluviis; *Napææ*, *Dryades* et *Hamadryades*, quæ silvis pratisque præerant. Inter Nereides insignis fuit Thetis, Pelei conjux [30]. Oceani pariter filius erat Proteus, Neptuni pastor, qui phocas ejus regebat, à Latinis dictus *Vertumnus*, quia in omnes formas sese vertebat [31].

Inter maris numina censebantur etiam Glaucus, Ino, ejusque filius Melicerta. Glaucus quo pacto deus evaserit, explicat Ovidius [32]. Ino conjux erat Athamantis, Thebarum regis. Hunc irata Juno egit in furias, quibus ille agitatus necem uxori machinatus est. Furentem Ino fugiens, in mare se dejecit, cum filio Melicertâ. Utrumque miseratus Neptunus deos maris esse jussit, et Ino *Leucotheam*, Melicertam verò *Palæmonem* dixit [33]. Nec prætereundus inter deos maris Æolus est, ventorum arbiter. Ejus regia et ventorum carcer prope Siciliam, in Æoliis insulis, collocatur. In angusto freto, quod Siciliam ab Italiâ separat, monstra duo marina ponuntur à poetis, Scylla nempe et Charybdis. In eodem freto Siculo degebant Sirenes, quæ suavitate cantûs pellectos vectores in brevia syrtesque perducebant [34].

CAPUT XII.

PLUTO.

Plutonis conjux Proserpina, Cereris filia, quam rapere coactus est, quia dearum nullam, quæ tam deformis regni domino vellet nubere,

29 Ovid., *Metamorph.* lib. vii. — 30 *Metamorph.* lib. xi. — 31 *Metamorph.* lib. ii, viii et xiv. — 32 *Metamorph.* lib. vii et xiii. — 33 *Metamorph.* lib. iv. — 34 *Metamorph.* lib. v.

inveniebat [35]. Inferorum fluvii, Acheron, Cocytus, Phlegethon, Styxque palus [36]. Custos inferorum, Cerberus canis triceps; portitor Charon, senex inexorabilis; carnifices, Furiæ tres: Alecto, Megæra, Tisiphone, flagellis et facibus armatæ [37]. Plutonis administræ, Parcæ tres: Clotho, Lachesis, Atropos. Illæ fatalem tenebant colum, modò nigrâ involutum lanâ, modò albâ, ex eâque filum ducebant, quo reciso, pereundum erat. Mortuorum animæ, operâ Charontis transvectæ, deducebantur à Mercurio ad judices Æacum, Minoa et Rhadamanthum, qui, expensâ singulorum vitâ, probos mittebant in Elysium, sceleratos in Tartarum detrudebant. Eorum pœnas et insignium facinorosorum nomina describit Ovidius [38].

Porrò animæ in Elysios campos missæ post certum annorum numerum ex iis educebantur, et in alia migrabant corpora, novam ut vitam instituerent. Sed antequam felicibus exirent campis, hauriebant aquas fluvii Lethes, quarum ea vis erat, ut rerum omnium præteritarum oblivionem afferrent. Mortui, quorum insepulta jacerent cadavera, centum annos in ripâ Stygis errabant, quibus exactis, à Charonte transmittebantur.

Plutonis nomina tria præ cæteris erant illustria: *Orcus* dicebatur quasi *Urgus* vel *Uragus*, quòd omnes urgeret in interitum; *Februus*, ab antiquo verbo *februo*, quod significat *purgo*, *lustro*; quia in funebribus cæremoniis multæ lustrationes et purgationes adhibebantur. Præcipua quædam sacra Plutoni fiebant, dicta ob eamdem causam *Februa*, unde etiam fluxit nomen *februarii* mensis, quo hæc sacrificia peragebantur. Plutonis vocabulum à græcâ voce divitias significante ducitur, quia aurum et alia metalla in imam tellurem naturæ provida benignitas, ut laterent, retrusit, ipsisque admovit inferis, ac Plutonis arbitrio subjecit, ut fingebant poetæ. Qui tamen peculiarem deum, Plutonis administrum, divitiis præfecerunt, *Plutum* nomine, claudum faciunt, quia tardè comparantur opes; cæcum, quia sæpè immeritis contingunt.

CAPUT XIII.

PAN, FAUNUS, SATYRI, ETC.

Ut cœli et inferorum, sic terræ propria quædam erant numina. Principem inter agrestes deos locum obtinebant Pan et Pales. Pan, Mercurii filius, capri caput ac pedes, necnon barbam et cornua, gerebat. Illum comitabantur Satyri, non dissimiles; itemque Silvanus, silvarum præses. In Arcadiâ præcipuè colebatur Pan. Ejus in honorem

35 Ovid., *Metamorph.* lib. v. — 36 *Metamorph.* lib. ii. — 37 *Metamorph.* lib. iv. — 38 *Metamorph.* lib. iv.

Romani mense februario celebrabant *Lupercalia*; quibus in festis *Luperci*, Panos sacerdotes, nudi per urbem discurrebant.

Pan, ut ipsa vox græca innuit, ac testatur Servius, symbolum erat *universi orbis*, in quo homines belluis mixti sunt; itaque supernè hominis, infernè pecudis speciem gerebat. Fistulam gestat, ad significandum partium mundi; junctarum inter sese ordine pulcherrimo, concentum. Narrat Pausanias, quum Galli, Brenno duce, Græciam percursantes, templum Delphicum pararent spoliare, injectum illis à Pane improvisum terrorem, quo perculsi omnes fugam arripuerint. Indè natum ut terror sinè causâ susceptus *Panicus* appelletur.

Pales invocabatur à pastoribus; eadem ac Cybele esse putabatur. Ejus festa *Palilia* celebrabantur, aprili exeunte. Faunus quoquè, Pici, Latinorum regis, filius, in agrestium deorum numerum veniebat, quia multa docuerat homines ad agriculturæ usum spectantia.

Pomona fructuum, Flora seu Chloris, florum gerebat curam. Ludi ejus in honorem celebrati vocabantur *Floralia*, et tubâ indicebantur. Præterea suum singulis fontibus, fluviis, domibus, hominibus, deum assignabant.

Domestici dii *Lares* sive *Penates* appellabantur. Lares vicorum etiam itinerumque præsides erant; itaque in viciis et compitis colebantur, et ludis in eorum honorem celebratis, *Compitaliciis* nomen erat. Tunc hominum effigies è lanâ, tanquam victimæ piaculares, suspendebantur in compitis, rogabanturque Lares, ut in hæc simulacra iram et pœnas effunderent, si quas ipsimet homines commeruissent. Quum bullas pueri deponebant, eas Laribus consecrabant. Canes illis erant dicati, animal domesticum et fidele; ipsique caninâ pelle vestiebantur. Locus Laribus domi sacer vocabatur *Lararium*. Iidem *Præstites* nominabantur, quasi qui multa familiis commoda præstarent.

Proprium cujusque hominis nomen *Genium* vocabant, eumque simul cum unoquoque nasci et mori arbitrabantur. Duplicem statuebant Genium: alterum candidum et felicem; alterum nigrum et sinistrum; qui si albo esset fortior, omnibus infortuniis miserum hominem malè mulctabat. Feminarum Genios appellabant *Junones*. Serpens Genio dicatus erat.

Rerum humanarum veluti clavum moderabatur Fortuna, dea cæca, rotæ insidens volubili, et in solâ inconstantiâ constans. Huic maximè supplicabant, eique varia diversis nominibus templa posita reperiuntur. Si quis fortunâ secundâ et favente abuteretur, hunc plectebat *Nemesis*, et indignos ingratosque ulciscebatur. Inditum id illi nomen à voce græcâ quæ significat *distribuere*, quia pœnas et præmia unicuique veluti dividebat. Dicta quoquè legitur *Adrastea*, vel ab Adrasto, rege Argivorum, qui primus aram illi condidit; vel quòd nemo illam pos-

set effugere, ut vox græca sonat. Rhamnunte (pagus Atticæ fuit) præcipuè colebatur. Hinc *Rhamnusia* vocatur à poetis. Alatam exhibebant, ad significandam celeritatem pœnarum, quæ impios non tardo pede consequuntur; insidentem rotæ, ut indicarent eam vicissitudinem quâ delictis pœnæ respondent, iisque succedunt. In deorum etiam numerum referebantur Nox et Somnus, sive Morpheus. Ex utroque genitus. Momus ludo jocisque præsidebat.

Posita quoquè templa visebantur variis scelerum monstris et morbis, ut Invidiæ, Fraudi, Calumniæ, Discordiæ, Furori, Febri, Pavori, Paupertati, Necessitati, Tempestati. Illud paulò rectius, quòd eosdem honores tribuerint virtutibus, Fidei scilicet, Justitiæ sive Astrææ, Pietati, Pudicitiæ, Concordiæ, Veritati, Saluti, Libertati, Paci, demum Silentio, cujus præses apud Ægyptios erat *Harpocrates*, apud Græcos, *Sigalion*: uterque pingebatur cum digito indice labris admoto, quasi silentium indicens. Harpocrati sacra erat arbor persica, quòd ejus folia, linguæ, fructus autem cordis speciem præ se ferant. Ab iisdem Ægyptiis *Angeronia*, silentii dea præses habebatur, ejusque simulacrum ore obligato et obsignato prostabat.

PARS SECUNDA.

DE SEMIDEIS ET HEROIBUS.

CAPUT XIV.

ORIGO IDOLATRIÆ.

Quum primùm homines, abrepti cupiditatum æstu, in graviora flagitia prolapsi sunt, tunc originis suæ et conditoris obliti, nova sibi numina fabricârunt. Ac primò quidem solem et lunam adoravere, quia nihil formosius objiciebatur sensibus, quorum judicio ferè omnia metiebantur; deinde hominibus ipsis cultum uni Deo debitum adhibuerunt. Id primus omnium tentasse Ninus fertur, circa mundi annum millesimum nongentesimum quadragesimum quintum; qui, collocatâ publicè patris sui Beli statuâ, jussit ad eam preces et vota concipi. Exemplum secutæ gentes vicinæ, divinos honores suis principibus, aut heroibus de genere humano bene meritis, decreverunt. Sic inter superos relati Saturnus, Jupiter, Neptunus, Hercules, aliique, et pro numinibus deinde habiti sunt, communi gentium omnium suffragio, præcipuè Græcorum, qui cæteris eruditione ac sapientiâ præstare credebantur.

Ordinem nihilominus aliquem statuebant inter deos. Quosdam enim censebant omni exceptione majores, ut Jovem, Junonem, Neptunum, etc.; quosdam minores, ut Pana, Faunos, Satyros, Nymphas, etc. Nonnullos dimidiatos quasi deos, sive *semideos*, appellabant, qui maternum duntaxat paternumve genus ab aliquo deo ducerent, ut Æsculapium, Pollucem, et similes. Denique heroibus ob res præclarè gestas, et magna quædam in mortales collata beneficia, cœlum ac divinitatem indulserunt. De duobus primis deorum generibus dictum est parte primâ; nunc de semideis et heroibus disserendum.

CAPUT XV.

PERSEUS.

Acrisius, Argivorum rex, quum oraculo didicisset futurum ut periret à puero quem Danae, filia sua, pareret, hanc æreâ turri inclu-

sit, appositis custodibus, ne quis ad illam vir aspiraret. Eò tamen penetravit Jupiter in imbrem aureum mutatus, hoc est auro corruptis puellæ custodibus. Genitum sic furto Perseum Acrisius in arcam abdidit, et in medios fluctus projecit. Sed à piscatoribus servatus, quum ætate processisset, ac ludicro interesset certamini, patrem imprudens interfecit. Res ejus præclarè gestas describit Ovidius [39]. Pegasus, de quo meminit idem Ovidius [40], egregiam Perseo primùm navavit operam, deinde Bellerophonti, Glauci regis Corinthiorum filio.

Ille quum Prœtum, Argivorum regem, inviseret, ejusque uxori Sthenobœæ assentiri nollet, ab eâ fuit accusatus apud Prœtum; qui, ne datam hospiti dextram fidemque violaret, misit ipsum cum litteris quasi commendatitiis (quarum similes *Bellerophontis Epistolæ* postea sunt appellatæ), ad Iobatem, regem Lyciæ, socerum suum. Rogabatur istis litteris Iobates ut Bellerophontem insidiis et astu perderet. Statim variis periculis fuit objectus ab Iobate, ut periret, præsertim Chimæræ, horribili monstro in Lyciâ, quod Pegasi tamen ope domuit. Sed dum equi alati tergo insidens evolare in cœlum conatur, à Jove dejectus et oculis orbatus est. Commodiùs actum fuit cum Perseo et ipso Pegaso: nam ambo in sidera sunt relati. Sthenobœa sibi necem conscivit.

CAPUT XVI.

HERCULES.

Heroum, quos vetustas celebravit, clarissimus exstitit Hercules. Alcmenâ genitus, conjuge Aphitryonis, thebani principis, et Jove. Regnabat per idem tempus Mycenis, in Græciâ, Sthenelus, et regnum Herculi Fata destinabant. Sensit Juno, effecitque ut Eurystheus, Stheneli filius, prior nasceretur quàm Hercules, quum antea impetrasset à Jove, ut qui amborum prior foret in lucem editus, alteri imperitaret. Imperium inclementer in Herculem Eurystheus postea exercuit [41]. Longum tamen Junoni visum est, dum uterque adolesceret. Herculem in cunis perdere tentavit, immissis anguibus geminis, quos infans, jam doctus vincere, qui vivere vix cœperat, tenellis manibus elisit.

Palladis tamen ope, Juno Herculi conciliata paulisper est; dumque pueri labris ubera immulget, decidit aliqua particula candidi liquoris, et in eam cœli partem defluxit quæ *Via lactea* postmodum est appellata [42]. Hæc Junonis benevolentia minimè fuit diuturna. Eurystheum, Mycenarum solio potitum, impulit ut Herculem variis objiceret labori-

39 Ovid., *Metamorph.* lib. iv ad finem, et initio lib. v. — 40 *Metamorph.* lib. iv. — 41 *Metamorph.* lib. ix. — 42 *Metamorph.* lib. i.

bus, quibus denique oppressus periret. Duodecim vulgò numerantur Herculis labores.

Primò jussus est leonem Nemeæ silvæ, à quo toti regioni pernicies creabatur, interficere. Adortus feram Hercules in antrum compulit, unde nullum patebat effugium, faucibusque constrictis interemit [43]. Ejus pellem deinceps, primæ scilicet victoriæ monumentum, semper gessit. Erat hydra leone isto tetrior, serpens immanis, in Lernâ palude, prope Argos; cui septem capita sic uni collo inserebantur, ut quum unum exscinderetur, alia multa repullularent. Omnia simul eodem ictu Hercules abscidit, aut igne, ut alii tradunt, exussit [44].

Dirus aper in Erymantho monte vastitatem agris afferebat; vivum cepit, Eurystheoque obtulit. Neque nihil nocebat in Mænalo monte cerva, æreis pedibus aureisque cornibus prædita; hanc toto anno insecutus, denique assecutus est, jaculisque confixit. Damni plus afferebant volucres quædam in lacu Stymphalo, inusitatæ magnitudinis et roboris, ita ut prætereuntes unguibus laniarent; iis fugatis, magnam est adeptus gloriam. Majorem debellatis Amazonibus, ad fluvium Thermodontem [45]; et tyrannis duobus, Diomede ac Busiride, interfectis, quorum hic in Ægypto peregrinos atque hospites immolabat Jovi; ille, in Thraciâ, eosdem ferocibus equis conculcandos ac devorandos præbebat. Illis par immanitate ferebatur Geryon, Hispaniæ rex, tricorpor, quem simili affecit pœnâ.

Magnam quoquè industriæ laudem tulit in repurgando Augiæ, regis Elidis, stabulo, in quo collectæ multis ab annis sordes, aerem pestilenti odore inficiebant [46]. Parem adhibuit solertiam, tum in domando tauro ferocissimo, quem iratus Neptunus in Græciæ cladem creaverat; tum in auferendis aureis Hesperidum pomis, et sopiendo pervigili dracone, illorum custode. Hoc in labore adjutorem Atlantem habuit, qui, dum poma colligebat Hercules, cœlum humeris tulit. Sed maximum omnium periculorum adiit in educendo ab inferis Cerbero [47], cum quo Theseum amicum suum, ibi vinctum, pariter eduxit.

His laboribus feliciter perfunctus, orbem terrarum, ad levandos mortales variis calamitatibus conflictatos, peragravit. Italiam Caco, Vulcani filio, latrone insigni, liberavit. Prometheum, in Caucaso religatum, vinculis exemit. Antæum, Terræ filium, singulari certamine profligavit [48]. Lycum, qui, Thebis captis, Creontem earum regem, socerum Herculis, tunc ad inferos profecti, interfecerat, meritâ morte mulctavit. Oceanum in medias terras induxit, aperto freto Gadi-

43 Ovid., *Metamorph.* lib. ix. — 44 *Metamorph.* lib. ix. — 45 *Metamorph.* lib. ix. — 46 *Metamorph.* lib. ix. — 47 *Metamorph.* lib. ix. — 48 *Metamorph.* lib. ix.

tam, duobusque montibus, Calpe et Abylâ, diductis; quibus, tanquam columnis triumphalibus, elogium illud incripsit: *Non plus ultrà.* Herculis gloriam iniquissimè ferens Juno, tam diro furore illum concussit, ut Megaram uxorem liberosque occiderit. Nec sibi violentas ipse non attulisset manus, postquam se ab illo furore collegit, nisi eum amici attinuissent.

Victorem tot monstrorum Amor imbellis vicit, ac servire turpiter Omphalæ, Lydorum reginæ, coegit, clavamque colo, leonis exuvias muliebri cultu, mutare. Pro Dejanirâ quoquè pugnavit contra Acheloum, Tethyos filium [49]. Eo superato, quum puellam, pugnæ præmium, domum duceret, centaurum Nessum, Dejaniram abducere tentantem, sagittis interemit Nessus moriens et ultionem spirans, vestem suo cruore, quod præsentissimum erat venenum, tinctam Dejaniræ dedit affirmans, si eam Hercules indueret, futurum ut nunquam aliam amaret [50]. Dejanira vestem sacrificanti in OEtâ monte Herculi misit. Vix induerat, quum, intestino correptus igne in pyram se conjecit eâque conflagravit [51]. Antea tamen sagittas suas, hydræ Lernææ sanguine imbutas, sinè quibus Trojam capi non posse in fatis erat, donavit Philoctetæ, Pœantis filio. Philoctetes illas Trojam attulit, ab Ulysse perductus [52].

Censent eruditi tot res præclarè gestas nequaquam esse unius Herculis, sed multorum, qui eodem nomine, non eodem loco ac tempore, vixerint; ac duos præsertim statuunt: alterum libycum, cui adscribunt pugnam cum Antæo, cum Geryone, cum dracone hesperio, diductam Africam ab Hispaniâ, aperto freto Gaditano, et si qua sunt alia gesta per Africam et Hispaniam; alterum thebanum, cui reliqua facinora tribuunt per Arcadiam, Peloponnesum et Phrygiam, sparsa.

CAPUT XVII.

THESEUS.

Theseus, Ægei, regis Atheniensium, filius, Herculi propinquus tempore et consanguinitate fuit. Ejus fortitudo eluxit præsertim in domandis tyrannis ac dynastis, qui potentiam suam vexandis hominibus et publicâ infelicitate metiebantur [53]. Talis erat Scyron, qui prætereuntes in mare præcipitabat; talis Procrustes, qui hospites in suo ipsius lecto sternebat, iisque pedum partem quæ modum lecti excederet, amputabat, aut actis in diversa equis miseros distrahebat. Istis, aliisque id genus, profligatis, ad monstra quoquè debellanda curas

49 Ovid, *Metamorph.* lib. IX. — 50 *Metamorph.* lib. IX. — 51 *Metamorph.* lib. IX. — 52 *Metamorph.* lib. XIII. — 53 *Metamorph.* lib. VII.

animumque vertit. Tria præcipuè sustulit: taurum immanem, qui marathonium agrum fœdâ populatione deformabat; aprum calydonium, ab iratâ Dianâ immissum in Ætoliam [54]; et Minotaurum, mostrum ex homine tauroque conflatum, cui devorandos mittere quotannis septem pueros sorte lectos cogebantur Athenienses. Hac eos pœnâ victor Minos, rex Cretæ, cujus filium Androgeum interfecerant, mulctaverat [55].

Incessit Theseum cupido Minotauri occidendi. Venit in Cretam, et, monstro perempto, Minois filiam Ariadnen, cujus ope labyrinthi ambages explicuerat, secum abstulit. Eam tamen, immemor beneficii, deseruit in insulâ Naxo; destitutam Bacchus duxit [56]. Navis quâ vehebatur in Cretam Theseus, nigris instructa velis erat, mutandis in alba, si rem bene gessisset. Mutare non meminit, elatus lætitiâ victoriæ. At Ægeus, nigris velis eminus aspectis, periisse filium ratus, in mare se dedit præcipitem, et *Ægæo* mari nomen fecit.

Pirithous, Thessaliæ in eâdem Græciâ rex, accensus invidiâ ob res præclarè à Theseo gestas, ejus regionem infestis armis incursavit, ut ad singulare certamen illum eliceret. Nec recusavit Theseus. Sed ubi primùm est conspectus, Pirithoum oris dignitate, comitate indolis, ita devinxit sibi, ut amor invidiæ locum occupaverit, et animos atque arma æterno fœdere ambo junxerint. Nec diù exspectata fuit occasio amicitiæ sanciendæ. Centauri, cum vicinis Lapithis invitati ad nuptias Pirithoi et Hippodamiæ, moverant rixam temulenti, et ingentem Lapitharum cædem ediderant [57]. Erant centauri equites adeò strenui, ut, sedentes in equo, unum cùm eo corpus conflare viderentur. Illorum proterviam ac libidinem Pirithous, Theseo adjuvante, ultus est, ut par erat.

Ambo deinde, annis ante excidium Trojæ quatuor et viginti, Helenam rapuerunt, quæ à Castore postea et Polluce fuit recuperata. Iidem ad rapiendam Proserpinam, regis Molossorum filiam, profecti sunt. Eam canis ferocissimus custodiebat, quem Cerberum vocabant; et ab eo laceratus est Pirithous. Theseus, à rege datus in custodiam, Herculis precibus concessus est. Indè nata de inferis fabula, quos Theseus ut narrant poetæ, adiit cum Pirithoo, ut Proserpinam abduceret. Pluto, re cognitâ, utrumque comprehendit, et vinculis oneravit; in iis hæsit Pirithous, sive, ut alii narrant, à Cerbero devoratus est. Theseum Hercules, quum adiret inferos, liberavit, et adjutorem eum habuit in suscepto contra Amazonas bello, quarum reginam Hippolyten ipsi uxorem dedit. Ex eâ Theseus genuit Hippolytum, quem Phæ-

54 Ovid., *Metamorph.* lib. viii. — 55 *Metamorph.* lib. viii. — 56 *Metamorph.* lib. viii. — 57 *Metamorph.* lib. xii.

dra, Minois filia, secundis nuptiis Theseo juncta, quum aliter ipsum amaret ac par et honestum erat, accusavit, quasi paternum temerare torum voluisset. Theseus Hippolytum diris devovit, ac Neptunum filio ultorem invocavit, à quo immissæ phocæ, Hippolytum in maris litore spatiantem, curru excusserunt. Mortuum Æsculapius revocavit in vitam; Diana transtulit in Italiam, et *Virbium* appellavit [58]. Phædra, crimen confessa, necem sibi attulit.

CAPUT XVIII.

CASTOR ET POLLUX.

Castor, Pollux, Helena et Clytæmnestra, Ledam habuere matrem, uxorem Tyndari, OEbaliæ regis in Græciâ, sed Pollux et Helenna Jovem, Castor et Clytæmnestra Tyndarum patrem sortiti sunt. Castor tamen et Pollux vulgò Tyndaridæ à poetis vocantur; et amborum celebratur amicitia, quæ tanta exstitit, ut Pollux, Jove scilicet natus immortalis suam immortalitem impertiri fratri suo non dubitaverit. Annuis Jupiter ut alternis diebus alter viveret, alter moreretur; imò Castorem adoptavit, in Pollucis gratiam; ita ut ambo appellarentur promiscuè *Dioscuri*, hoc est Jovis filii, et inter sidera collocarentur, ubi tertium in Zodiaco locum obtinent, *Gemini*que nuncupantur.

Honorem hunc tamen, nisi magnis in mortales promeritis consecuti non sunt, ac potissimùm depellendis mari prædonibus. Quam ob causam vota ipsi facere nautæ consueverant, et agnos immolare candidos, quum nigras oves Tempestatibus sacrificarent. A Romanis quoquè impensiùs culti sunt, apud quos viri per ædem Pollucis jurabant vulgò; feminæ, per ædem Castoris.

CAPUT XIX.

JASON ET ARGONAUTÆ.

Athamas, Thebarum rex, arietem aureo insignem vellere donatum à Superis servabat domi, familiæ Palladium [59]. Hunc Phrixus, Athamantis filius, novercam Nephelen fugiens, asportavit, et ad Colchos delatum immolavit Jovi. Aureum autem vellus dedit Æetæ, regi Colchorum, à quo repositum in luco Marti sacro fuit, additis, custodiæ causâ, tauris ignem spirantibus, et pervigili dracone. Hunc thesaurum

58 Ovid., *Metamorph.* lib. xii. — 59 *Metamorph.* lib. vi et vii.

eripere Colchis Jason decrevit, filius Æsonis, Thessaliæ regis, hortante patruo Peliâ, qui, fratris senio confecti loco, regnum administrans, donec ei regendo per ætatem Jason par foret, eum in istâ expeditione periturum sperabat. Jason, vocatis in periculi et gloriæ societatem ducibus Græciæ fortissimis, Hercule, Theseo, Castore, Polluce, Orpheo, Lynceo, Tiphyi, etc., navim Argo fabricavit, trabibus è Pelio monte sumptis, sive, ut alii tradunt, è Dodonæâ silvâ, cujus arbores, voce præditæ, edebant oracula. Tiphys clavum regebat; Lynceus, oculis acutissimis valens, brevia et scopulos detegebat; Orpheus navigationis tædia levabat cantu; cæteri heroes, qui vulgò dicuntur *Argonautæ*, remos agitabant. Solus Hercules cursum parumper retardabat, tum quia pondere corporis deprimebat navim, tum quia ingentem stomachum nulli satîs implebant cibi; quumque omnem, quæ condita in cadis ferebatur, aquam hausisset, misit Hylam, adolescentem sibi carum, ad petendas è vicino fonte lymphas. Lapsus in fontem Hylas, sive à Nymphis, ut poetis placet, raptus (sunt illæ fontium deæ), quum non rediret, exscendit Hercules, eum quæsiturus, ac socio molesto vectores liberavit.

Navis, hoc onere levata, petras Cyaneas, quæ *Symplegades* vocantur, prætervecta [60], et Pontum Euxinum feliciter emensa, Colchidem attigit. Jason aureum vellus abstulit, adjuvante Medeâ [61], quæ unà cum illo fugiens in Thessaliam, ut patrem Æetam persequentem moraretur, Absyrtum fratrem interfecit, ejusque membra, quà pater instabat, dissipavit; quæ colligens Æeta, illi spatium fugiendi dedit. Ut Medea venit Jasonis domum, Æsonem ejus patrem, annis et morbis gravem, in pristinum robur ac juventutem arte magicâ restituit [62]. At Peliam, deceptis ejus filiabus, jugulavit [63]. Jason interea, Corinthum profectus ad Creontem regem, ejus filiam Creusam adamavit. Medea, se spretam furens, arculam gemmis incantatis plenam Creusæ misit, quæ, igne concepto, ipsam et Creontem absumpserunt [64].

Medea, post exprobratam Jasoni perfidiam, susceptos ex eo duos filios, in ipsius conspectu, mactavit, alatisque vecta draconibus, Athenas evasit ad Ægeum regem. Cui quum nupsisset, ac Medum filium genuisset, conata est Theseum, Ægei filium, è medio tollere, veneno dato; sed deprehenso scelere, fugit in eam Asiæ partem quæ ab ejus filio *Media* est nominata [65]. Argonautarum expeditionem chronologi assignant anno post conditum Ilium sexagesimo quarto, ante ejus excidium septuagesimo nono.

60 Ovid., *Metamorph.* lib. VII et XV. — 61 *Metamorph.* lib. VII. — 61 *Metamorph.* lib. VII. — 62 *Metamorph.* lib. VII. — 63 *Metamorph.* lib. VII. — 64 *Metamorph.* lib. VII. — 65 *Metamorph.* lib. VII.

CAPUT XX.

CADMUS.

Jupiter, in taurum conversus, Europen, Agenoris, Phœnicum regis, filiam, abduxerat in Cretam [66]. Agenor ejus investigandæ negotium Cadmo filio dedit, eumque, nisi repertâ sorore, domum redire vetuit. Cadmus, pererratis frustra variis orbis terrarum partibus, oraculo delphico jussus est in eo Græciæ loco consistere ubi obvium haberet bovem, ibique urbem condere [67]. Regionem, Bœotiam; urbem, Thebas appellavit.

In eâ plures regnavit annos, domesticis tamen calamitatibus graviter conflictatus. Ex ejus quippe liberis Semele, quum Jovem, ex quo Bacchum edidit, videre fulminantem exoptasset, ambusta fulmine periit. Ino, furentem virum suum Athamantem fugiens, in mare se præcipitem dedit [68]. Agave, Penthei mater, filium discerpsit [69]. Cadmus ipse, Thebis pulsus ab Amphione, concessit ad Illyrios cum conjuge, ubi, tædio calamitatum affecti, diis miserantibus, in serpentes ambo mutati sunt. [70].

Amphion thebanæ civitatis muros condidit, convenientibus ad sonitum lyræ saxis, septemque in eâ portas aperuit. Hanc Alexander delevit; Pindari tamen familiæ ac domicilio parcitum uni voluit. Alia fuit urbs ejusdem nominis in Ægypto, centum portis patens, à quâ regio vicina cognomen *Thebaidis* habuit; alia in Ciliciâ, Andromaches patria; quam Græci, trojanum ad bellum proficiscentes, vastaverunt.

CAPUT XXI.

OEDIPUS.

Laius, Thebarum rex, quum audivisset se periturum à filio, Jocastæ uxori præcepit ut natum infantem jugularet. Aversata facinus mater occidendum puerum tradidit militi. Miles, pueruli lacrymis et liberali formâ motus, eum ex arbore suspendit pedibus, quos fune seu vimine, in calces indito, trajecerat. Suspensum vidit magister armentorum Polybi, Corinthiorum regis, et reginæ liberis carenti, obtulit. Quæ puerum aluit pro suo, *Œdipum*que dixit à pedum tumore, quos inflatos et tumentes retinebat.

Ætate provectus, comperit nequaquam Polybi se esse filium. Oraculum consuluit, ab eoque didicit futurum ut patrem in Phocide repe-

66 Ovid., *Metamorph.* lib. II. — 67 *Metamorph.* lib. III. — 68 *Metamorph.* lib. IV. — 69 *Metamorph.* lib. VII. — 70 *Metamorph.* lib. IV.

riret. Illuc profectus, Laium, in seditione populari sedandâ laborantem, imprudens peremit, ac Thebas rediit. Erat non procul ab urbe Sphinx, mostrum ingeniosum, virgineo capite, corpore canino, alis et caudâ draconis, pedibus leonis et unguibus, insigne. Prætereuntibus ænigma proponebat, eosque, nisi objectum nodum solverent, devorabat. Hinc regionis vastitas et urbis solitudo, ad quam nemo poterat aspirare. Creon, Jocastæ frater, qui, Laio mortuo, regnum thebanum occupaverat, præconis voce per universam Græciam edixit fore ut regnum et Jocastam, Laii uxorem, illi traderet quicumque propositum ænigma posset explicare. *Quodnam animal est*, inquiebat Sphinx, *manè quadrupes, sub meridiem bipes, et vespere tripes?* Œdipus, tanto præmio invitatus, respondit animal istud hominem ipsum esse, qui pedibus manibusque reptat ab infantiâ, binis pedibus nititur vir; senex baculo, quasi tertio pede, fulcitur [71]. Hoc responso victa Sphinx, præcipitem se in mare projecit, et regnum metu liberatum, ac Jocastam Œdipo reliquit. Ex eâ Eteoclem et Polynicem, itemque Antigonen et Ismenen tulit, nec priùs matrem esse suam cognovit, quàm, ortâ pestilentiâ, vates pronuntiassent immissam pestem à Superis, Laii necem vindicantibus, nec desituram, nisi exularet is à quo Laius cæsus fuisset. Compertum denique fuit cædis auctorem Œdipum esse, eumdemque matrem habere in matrimonio. His attonitus infelix, oculos eruit sibi; et in voluntarium exsilium discedens, regnum Eteocli et Polynici administrandum reliquit.

CAPUT XXII.

ETEOCLES ET POLYNICES.

Eteocles et Polynices, Œdipi filii, ne paternum regnum dividendo debilitarent, satius duxerunt illud integrum, sed alternis annis, possidere. Eteocles, ut major natu, prior regnavit anno suo; sed, eo elapso, fratrem, contrà quàm convenerat, solio exclusit [72]. Hæc fuit belli thebani, à poetis, præsertim à Statio, decantati, causa. Polynices enim omnem Græciam in arma excivit, adscito in fœdus Adrasto, Argivorum rege. Tiresias fausta omnia Thebanis promittebat, si Menœceus, Creontis filius, ultimus Cadmi posterorum, se pro patriâ devoveret. Nec dubitavit fortis ille adolescens, invito patre, procurrere in conspectum hostium, et cruore suo, voluntaria victima, litare.

Hinc secunda omnia Thebanis cesserunt. Multi hostium duces, et potissimùm Tydeus, Parthenopæus, Capaneus, Amphiaraus, maximis jactati periculis, periere. Ad extremum ambo fratres, crudeli bello

71 Ovid., *Metamorph.* lib. vii. — 72 *Metamorph.* lib. ix.

finem imponere singulari certamine aggressi, alter alterius manu ceciderunt. Nec ipsa mors odium illorum internecivum exstinxit. In eumdem quippe rogum conjectis cadaveribus, flamma, spontè divisa, vivere in ipsis mortuorum fratrum cineribus inimicitias demonstravit. Creon, exstinctis Œdipo ejusque filiis, regnum, quod ipsi spontè concesserat, recepit. Ereptum rogo Polynicis corpus, inhumatum projecit. Actigonem, fratris ossa conatam sepelire, vivam humo jussit infodi; sed ipsa supplicium, elisis faucibus, antevertit. At Hæmon, Creontis filius, qui Antigonen sponsam optaverat, ensem sibi adegit in pectus. Eurydice, Creontis uxor, tantum filii obitu luctum hausit, ut mortem sibi consciverit. Hanc regiæ familiæ cladem Sophocles in scenam quum protulisset, tam suavi commiseratione affecti spectatores, ut insulæ Samii præfecturâ donatus fuerit.

CAPUT XXIII.

TANTALUS.

Non levioribus infortuniis familia Tantali, regis Phrygiæ, concidit. Prima calamitatum origo, impietas ipsius Tantali fuit. Jovem, à quo genus ducebat, cum cæteris diis domi suæ acceperat. Eorum divinitatem ut probaret, Pelopem suum filium, in frusta concisum et elixum, illis apposuit [73].

Ceres, paulò reliquis avidior, humerum Pelopis absumpsit; alii, ferales epulas detestati, Tantalum in Tartara detruserunt, ubi mediis in undis sitit, et, alludentibus ori pomis, fame cruciatur [74]. Pelopem deinde in vitam revocaverunt, eductâ ex inferis per Mercurium ejus animâ, et membris ita reparatis, ut humerus eburneus in ejus locum qui à Cerere comesus fuerat, substitueretur [75].

Niobe, Tantali filia, paternam impietatem imitata, dum Latonam contemnit, numerosam amisit sobolem, telis Apollinis ac Dianæ confixam, et ipsa dolore amens in saxum diriguit [76].

